


DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER DECIMUS SEXTUS.

Brasilia Septentrionalis.

C A P . I.

*De Communi Brasiliensium lingua.*



PER ÆPРЕCIUM facturi videmur, si in limine hujus libri pauca dicamus de Brasiliensium lingua: Nam licet pleræque Brasiliæ nationes, peculiares linguas usurpent; tamen & commune aliquot idioma videntur agnoscere, præsertim omnes illæ nationes quæ littora hujus Continentis quoquomodo attingunt, cujus aliquot vocabula accepimus à quodam Belga, qui aliquot annis inter illos variis locis vixit, quæ magnam cognationem habent cum iis vocalibus, quæ *Ioannes Lerius* prodidit ex *Tououpinambautiorum* lingua; nam hæc natio licet illis temporibus incoluerit juxta Sinum & flumen Januarii, ta-

men postquam Lusitani pulsis Gallis eorundem locorum sunt potiti, longe lateque se dispersisse videtur per omnem illam regionem, adeo ut etiam Marignani accolæ originem suam ab illis derivent, nec non illi qui juxta Param degunt, quemadmodum à dicto Belga accepi; ut autem Idiomatis hujus communio aut diversitas cum *Tououpinambautiorum* sermone melius elucescat, partium humani corporis nomina

inter se conferemus; quæ ita se habent,

E *Ioanne Lerio.* In Sinu *Trayciaon.* E Belgæ annotatione.

Caput	<i>Acan</i>	<i>Acan</i>	<i>Yahange</i>
Capilli	<i>Ave</i>	....	<i>Ava</i>
Aures	<i>Nembi</i>	<i>Nambi</i>	<i>Namby</i>
Frons	<i>Sshua</i>	....	<i>Suwa</i>
Oculi	<i>Dessa</i>	<i>Desa</i>	<i>Scefcahs</i>
Nasus	<i>Tin</i>	<i>Tin</i>	<i>Ty</i>
Os	<i>Iourou</i>	....	<i>Iuron</i>
Genæ	<i>Retoupave</i>	....	....
Mentum	<i>Redmiva</i>	....	<i>Tedube</i>
Lingua	<i>Ape-cou</i>	<i>Apecong</i>	<i>Ypecou</i>
Dentes	<i>Ram</i>	<i>Tannie</i>	<i>Raaingh</i>
Collum	<i>Aioedé</i>	<i>Aiura</i>	<i>Aiure</i>
Guttur	<i>Affoc</i>	....	<i>Affocke</i>
Pectus	<i>Poca</i>	....	<i>Potiah</i>
Renes	<i>Rousbony</i>	....	<i>Tuabebouye</i>
Nates	<i>Revire</i>	....	<i>Syquarre vel Tobyrre.</i>
Humeri	<i>Invanpony</i>	....	<i>Attinube</i>
Brachia	<i>Inva</i>	<i>Giuwa</i>	<i>Ye</i>
Manus	<i>Po</i>	<i>Po vel Gepo</i>	<i>Poh</i>
Digitæ	<i>Poncu</i>	....	....
Venter	<i>Reguie</i>	....	<i>Zambeh</i>
Mammæ	<i>Cam</i>	....	<i>Camme</i>
Genua	<i>Rodouponam</i>	<i>Tnippiha</i>	<i>Nupuha</i>
Tibiæ	<i>Resemeu</i>	<i>Gretima</i>	<i>Touba</i>
Pedes	<i>Povij</i>	<i>Gepu</i>	<i>Ipuch.</i>

T t 4

E quibus

E quibus appetet idioma *Tououpinamboutiorum*, quale à Lorio fuit annotatum etiam hodie apud plures & in diversissimis regionibus commorantes barbaros maxima ex parte obtinere. Idem quoque è numerorum vocabulis observare est; nam ut notat Larius *Tououpinamboutii* dicebant. 1 *Angepe.* 2 *Moccnein.* 3 *Mossaput.* 4 *Oiocoudic.* 5 *Ecoinbo.* Sic sinus *Trayciaon* accolæ hodie dicunt. 1 *Iepè.* 2 *Mokoy.* 3 *Mosaput.* 4 *Iemdick.* 5 *Opave &c.*

Idem Larius notat *Tououpinamboutios* solem vocasse *Gouarassi*, Lunam *Iasce*, stellas *Iastata*: Ad eundem modum hodieque sinus illius accolæ dicunt, *Coasir*, *Iasich* & *Iastata*. Quod sane mirum in tanta locorum diversitate. Sed ad institutum jam revertamur.

## C A P. II.

*Praefectura nona Brasiliæ quæ dicitur Paraiba.*

**S**VPERIOR E libro absolvimus octo Brasiliæ Praefecturas, eamque lustravimus usque ad fines nonæ & novæ Praefecturæ *Paraibæ*, de qua deinceps dicendum.

Hæc Praefectura initium accepit à Gallis, qui, ut superiori libro diximus, ex ea pulsi fuerunt anno c<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> LXXXIV: postilla Lusitani eam retinuerunt, inque ea oppidum condiderunt & aliquot pagos, pluresque Sacchari cannas conserverunt, ita ut hodie in illa octodecim aut novemdecim machinæ Saccharo molendo comparatae reperiantur, quæ quotannis circiter centum quinquaginta millia Arobarum edere dicuntur.

A *Portu Francico* oram sequentibus versus Arctum primo occurrit Promontorium quod vulgo appellant *Cabo Blanco*, ad altitudinem sex graduum & quadraginta quinque scrupulorum ab Æquatore versus Austrum; ab hoc ad flumen *Paraibam*, à quo Praefectura nomen meruit, numerant leucas duas. Id flumen satis lato ore pater versus ortum, paulum inclinando versus Eurum: interiori autem æstuario injacet insula oblonga & denso arboreto obsita: Promontorio autem Australi, quod vocant *Cabo Delo*, castellum exiguum superstruxerant Galli, quod Lusitani postea auxerunt, maxime postremis hisce annis, postquam Belgæ *Olinda* sunt potiti. Deinde ascendit flumen versus Occidentem, multis arenarum pulvillis & scopolis impeditum, ita ut perito nauclero hic sit opus.

Ad latus fluminis Meridionale jacet ipsa urbs *Paraiba* quam & Philippæam vocant, in gremio cuiusdam recessus, circiter tribus leucis à mari, ita tamen, ut navigi tuto huc possint adscendere & onus sexcentarum aut septingentarum cistarum Sacchari sine discrimine accipere: incolebant superioribus annis quingenti Lusitani, nunc longe plures, & plurimi barbari atque nigræ. Erat olim aperta, nunc leví vallo cincta dicitur, postquam Belgas metuere cæperunt, licet castellum prope *Cabo delo* nuper frustra tentaverint.

Ab oppido reflectitur flumen cubito versus Corum; atque h̄c primo ad ripam ingredientibus dexteram sita est machina Saccharo molendo comparata, cum suis ædificiis: deinde paulo superius ad utramque ripam apothecæ mercatorum, cum aliquot domiciliis: porro ascendentibus occurrit ad dexteram ripam exiguis pagis ad quem tres machinæ pertinent cum suis cannatis; & superius alter itidem pagus, cuius incolæ potissimum dant operam colendis illis radicibus, è quibus farinam suam conficiunt, quæ hic communiter pro farre usurpatur; & ab utraque ripa aliquot machihæ, quas vocant *Ingenios*.

Alterum five Arctoum hujus Praefectoræ Promontorium appellatur *Punta de Lucena*, cui aliquot rupes adjacent, pone quas tamen statio est minoribus navigiis haud incommoda.

Figueredus scribit flumen *Paraibam* alio nomine appellari *S. Domingo*; & duabus leucis ab ostio illius distare fluvium *Magiangapen*, cuius ori objacet Insula quā vocant *de Mangues*, ab arboribus quæ illam occupant. Ad ripas hujus fluvii, qui tantum minoribus navigiis adiri potest, degunt aliquot Lusitani qui armamentis pascendis dant operam.

Cæterum solum hujus Praefectoræ valde fœcundum est, nec in auctoratum, pluresque

resque in variis partibus reperiuntur arbores quæ lignum dant Brasilianum quo tinctoræ vulgo utuntur, quin & argenti venas hic reperiri volunt, præsertim in loco quem barbari vocant *Touyouba*.

Hanc partem Continentis incolunt barbari illi, quos *Petivares* diximus appellari, qui Gallis dudum amici & confœderati, postquam Lusitani Præfectura hac sunt potiti, his admodum obnoxii sunt facti; & juges exercent inimicitias cum vicinis barbaris, quos vocant *Tiguares*.

## C A P . III.

10. Insula Fernandi de Noronha vulgo dicta.

**A**NTEQUAM ad reliquam partem Continentis progrediamur, nequaquam prætereunda est Insula, quæ vulgo *de Fernando Noronha* & interdum *Loronha* dicitur: quæ sita est ad altitudinem trium graduum & triginta (ut Figueredo in Itinerario; aliisque naucleris placet) vel quadraginta & quinque scupulorum ab Æquatore versus Austrum: quinquaginta (ut idem Figueredus designat) vel septuaginta (ut fere à nostratis invenio observatum) leucis à Brasiliæ Continenti in patentissimo Oceano: Patet in longitudinem inter Africū & Aquilonem supra duo millaria, in latitudinem paulo plusquam unum.

20. Maxima pars Insulæ plana est, præter paucos montes, qui variis locis se attollunt; inter quos unus, præruptis undiquaque cautibus, in vastam altitudinem assurgit, ita ut ex alto allabentibus primo conspiciatur in modum turris; huic proxime adjacet alter modicè convexus, ita ut uterque egregie templum cum suo campanili repræsentet, unde & nomen à Nostratis meruit, vulgo *de Kerck*. Qui accurate Insulæ hujus formam sunt contemplati comparant folio Lauri, definit enim utrumque in acutum angulum. Solum maximam partem nitrosum esse dicitur, unde & scaturigines, quibus abundat, & torrentes qui pluviis mensibus, nimirum ab Aprili ad Septembrem de collibus descendunt, & insulam passim rigant, nitrum videntur sapere. Nihilominus haud infœcunda est tellus, sed etiam 30 sponte producit plures edules radices, & præstantes melones, pisa quædam viridia, fabas, & similia legumina: Mayzii imprimis est patiens, & earum arbuscularum quæ gossypium ferunt. Claudius Abbevillanus qui illam adiit cum Gallis qui Marignanam insulam petebant scribit, hic passim nasci arbores valde amœnas, frondibus læte virentibus, instar Lauri, verum tam acri & caustica qualitate, ut si quis manum qua frondes contrectavit, ad oculos ferat, ingentes dolores patiatur, & ad aliquot horas videndi facultate privetur. Alteram tamen arborem hic occurere, cujus folia præsentissimum remedium huic malo adferant.

40. Lusitani jam olim plures hircos & capras hic collocarunt, quorum numerus in immensum est auctus, difficulter tamen capi possunt, propter vepreta & aspera loca in quæ se recipiunt: Idem & gallinas intulerant & pauca jumenta.

Magna hic reperitur avium copia, præsertim illarum quas vulgo vocant furcatas à forma caudarum, harum jam alibi meminimus; & littoralium quoque diversi generis, inter quas excellit una mole anseris, pectore eleganter rubenti, quæ ingluviem inflat monstrosum in modum.

50. Porro littora hujus Insulæ fere undique prærupta sunt & difficilia aditu præsertim ad latus quod Aquilonem spectat, ubi Oceanus ingentes fluctus volvit ad littora, ut pene impossibile sit cymbis hic exscendere. A cornu illius Orientali dividuntur aliquot minores insulæ vel potius scopuli, vadofis alveis separati qui transitum naviis negant.

Sub plaga autem quæ Occidentem vel Corum adspicit, duæ sunt stationes navibus haud incommodæ, una haud longe ab Orientali Insulæ angulo, sub Occidentali latere cujusdam monticuli, qui angusto isthmo, peninsulæ in modum ab Insula se subducit, atque hic quoque sat commode in terram exscenditur; ibidem & rivulus de vicino colliculo se præcipitat in mare, aquationi opportunus. altera autem statio habetur sub rupe illa quam Templi formam referre diximus.

Ad

Ad plagam orientalem , media pene parte Insulæ , exiguis sinus visitur , semilunari forma ; hic torrens quidam restagnat , & denique evolvit se in sinum ubi facile salinæ fieri possent.

Mare quod Insulam ambit valde piscosum est, præsertim ad partem illius septentrionalem & inter minores illas insulas : suis quoque tempestatibus annatæ maximæ copia testudinum marinorum.

Claudius Abbevillanus meminit & alterius insulæ huic vicinæ , sed longe minoris , quam vocat *Isle de Fen* , in qua ingentem avium copiam repererunt.

Lusitani Pernambucenses deportaverant in hanc Insulam Lusitanum unum cum sedecim aut septendecim barbaris qua viris qua fœminis ; quos Galli anno c 1510. 10. CXII hic baptizatos , secum deduxerunt ad Marignanam ; ita ut Insula postilla deserata manserit , donec superioribus annis à Belgis nostris colli cœpit , qui jam aliquot colonos & paucos Nigritas eo deduxerunt.

#### C A P . IV.

#### Ora Continentis Brasiliæ Septentrionalis , à flumine Mongiangape ad Rio Grande.

**S**UPRA oram Brasiliæ Septentrionalis deduximus ad fluvium *Mongiangapen*. Superiori enim libro Continentem Americæ Meridionalis & Brasiliæ provincias prosequuti eramus usque ad Capitaniam Paraibæ , quam jam absolvimus ad extremum hujus Continentis angulum , qui orientem respiciens , extimus est versus Arcticum : ab hoc siquidem ora reflectitur versus occidentem atque Arcto obicitur , vastis terrarum spaciis ad Novam usque Hispaniam . Porro hanc Americæ Meridionalis partem quæ inter dictum Angulum & Maranon includitur , alii aliis nominibus , nostri fere à situ Brasiliæ appellant Septentrionalem . In orarum autem descriptione , (nam præter has , paucis locis exceptis , hic vix quicquam satis notum aut perlustratum offendimus ) plurimum variant authores ; nos hic Itinerariorum authores , uti certissimos indices , sequemur & imprimis Figueiredum , qui Lusitanorum idiomate itinerum rationes explicavit ; & aliorum præsertim nostratium accurate observationes , quibus & aliquid lucis à Gallis fænerabimur .

Oræ ergo à fluvio *Mongiangape* secundum dictos authores hoc ordine jacent.

A fluvio *Mongiangape* ad finum Traditionis , vulgo *Baya de Treyciaon* , Gallis de *Trahison* numerant leucam unam . distat hic sinus , uti à nostris est observatum à *Parai-* 20 *ba* septem leucis ; ab Äquatore gradibus sex & viginti scrupulis versus Austrum . clauditur ab ortu humili cornu , à quo scopulosum vadum descendit im altum , quod flu-*tibus* recedentibus extat , & finum hunc magna sui parte , instar valli concludit , ex-*cluditque* ingentes fluctus quos Oceanus hic volvit ad littora , ita ut pone illud duo-*decim* aut quindecim naves commodissime in anchoris possint consistere ; quemadmodum anno c 1510 cxxv Classis Societatis Indicæ Occidentalis sub præfecto Bal- 40 *duino Henricide* hic aliquandiu substituit . Continens hic denso nemore vestitur , inter quod & arenosum littus palus sive stagnum interjacet , quod vado transiri potest , præ-*terquam* pluviis mensibus , quibus magis impletur : patet in latitudinem circiter quar-*tam* leucæ partem : trans paludem hanc Lusitani exiguum templum & aliquot domi-*cilia* struxerant , cujus incolæ pecuariæ & agriculturæ dabant operam .

Barbari qui in vicinia degebant , *Tyguares* dicebantur , à cæterorum moribus & idiomate parum aut nihil differentes ; nuper autem à Lusitanis domiti , infestis adhuc animis in illos , statim magno numero se nostris conjunixerunt , & hostilia in Portugallos sunt moliti ; verum quum nostri ab omnibus rebus , quibus opus erat , imparati essent , & ad alia properarent , hic præsidium relinqu minime potuit ; unde factum est 50 ut post nostrorum discessum , barbari hi in diversa fugere cogerentur & non pauci à Lusitanis cæderentur : Eorum tamen aliquot nostros sponte sunt comitati , quos in Bel-*gio* & linguam nostram , & scribendi modum , denique initia Christianæ religionis edoctos sæpe vidimus , & regionum illarum qualemcumque cognitionem ab ipsis accepimus .

A finu Traditionis ad modicum amnem *Cromataym* numerant leucam unam : Fi-  
gueredus

gueredus vocat *Camaratubam* (uti & barbari nostri) scribitque ad sinistra m illius ripam desinere limites *Præfecturæ Paraibæ*: hic amnis non nisi cymbis adscendi potest, ad ripam tamen illius machina Saccharo molendo comparata à Lusitanis fuit exstructa, quam nostri exciderunt: quatuor autem horarum itinere intra Continentem *Tiguares*, hi incolebant in pago *Tabouffuram*, quorum princeps dicebatur *Tayuararii*; qui sibi metuens post nostrorum discessum, profugit ad *Tapuyas*.

Ab hoc fluvio circiter quatuor leucis (secundum Figueredum) sequitur cornu terræ, pone quod se aperit sinus, qui appellatur à Lusitanis *Baya Formosa*; à quo circiter dimidiā leucā versus Ortum tenuis amnis exit è continente, quem Figueredus nominat *Rio Huagau*; alii videntur appellare *Congaycu*; hic amnis in aditu duodecim palmos est altus, ita ut minora navigia ad quatuor aut quinque milliaria illum ascendant, ubi pagus visitur Lusitanorum, qui & Sacchari canis colendis dant operam, & plurimum ligni Brasiliani cädunt. Barbari nostri referunt, Sinum Formosum suorum idiomate appellari *Quartapicabam*, & passim hic crescere arbores quæ lignum Brasilianum subministrant, Gallosque hic suetos illud petere, antequam à Portugallis vetarentur.

A sinu *Formoso* ad fluvium *Curumatau* numerant leucam unam; hic & altus est & portum aperit valde idoneum & securum. Sequitur deinceps sesqui leucæ intervallo amnis quem Figueredus nominat *Rio Subauma*; & paulo ulterius cornu terræ, quod à figura scopuli qui illi objacet vulgo vocant *Punta da Pipa*, pone quod statio est navibus satis opportuna. Excipit deinde littus importuosum, & nemorosum quod vulgo vocant *Paranambuco*; intra Continentem jacet lacus *Guiraira*. Barbari nostri à *Curumaton* ad *Paranambuco* sive *Guiraire* designant quatuor milliaria; & à *Guiraire* ad amnem *Tareyrick* tria: hic lignum flavum cädere datur, quod vocant *Tatayonba*; feruntque hic reperiri intra Continentem venas ferri, quod nominant *Ita*.

Sequitur deinceps unius leucæ intervallo, (secundum barbaros nostros) fluvius *Pirangue*, & portus quem Lusitani vocant *dos Busios*. A quo ad aliud terræ Cornu, quod vocant *Punta Negra* sunt tres leucæ secundum Figueredum: pone hoc statio habetur navibus valde opportuna & secura: ab hoc cornu ad *Rio grande* numerant duas leucas. Alii paulo aliter hæc loca designant. A *Punta de Pipa*, quæ barbaris appellatur *Tacoatira*, distatque ab Æquatore gradibus sex versus Austrum, (ut à nonnullis invenio observatum) ad sinum, quem vulgo vocant *Enseade Tambanti*, numerant leucas sex; ab hoc ad *Porto dos Busios*, ut vocant, quatuor: à quo exiguo intervallo distat aliis portus vulgo *de Touros* quinque gradibus & quadraginta scrupulis ab Æquatore versus Austrum; inter utrumque autem exit fluvius *Pirangue*.

E regione horum locorum, circiter decem aut duodecim leucis à continenti, & quinque gradibus ab Æquatore versus Austrum, objacet magnum & famosum vadum, quod Lusitani vocant *los Baixos de S. Roque*; patet autem inter ortum & occasum in longitudinem plures leucas, & quo magis tendit versus occasum eò propius accedit ad Continentem, ita ut etiam quatuor aut quinque leucis ab illa deprehendatur; summa autem hic cautione opus est, & non nisi interdiu hic navigandum, tum enim unda pallescens sensim satis mature admonet navigantes; præterquam quod bolide fundum tentantes, à triginta orgyis sensim animadvertisunt adscendere.

## C A P . V .

Decima Brasiliæ *Præfectura Rio grande*.

**S**EQUITUR deinceps ad hanc oram insignis fluvius, quem barbari quidem vocant *Poteingi*, Lusitani autem *Rio grande*; quinque gradibus & triginta scrupulis ab Æquatore versus Austrum, secundum Figueredum difficilior quidem aditu, sed interius valde amœnitis & satis altus.

Galli postquam sinum Januarii deseruerant hic appellere consueverant, fœdere & amicitia cum barbaris, qui *Petivares* dicuntur, juncti, atque hic domicilia fixerant; sed Rex Hispaniarum Gallos tam vicinos neutiquam ferendos ratus, *Feliciano Cece de Caravalasho* præfecto *Paraibæ* mandavit, ut illos inde depelleret; qui anno c<sup>1</sup>I<sup>2</sup>I<sup>3</sup>x<sup>4</sup>CVII de rebus à se gestis ad Regem Hispaniarum scribens, magnificè se jactat, ut solent Lusitani,

Lusitani, & multa millia barbarorum à se cæsa, Gallos qui impetum fecerant in castellum *Capo delo* nullo negotio depulsos; verum tamen ad flumen *Rio grande* aggredientur penitus se imparatum; nam & apparatu omni bellico destitutum esse & eundem à Regiis præfectis tam *Pernambuci* quam *Babie* frustra jam sæpius postulasse.

Narrat præterea Gallos intra Continentem, in loco quem vocat *Copaoba*, inveniisse opulentas argenti venas, & plurimum metalli inde abduxisse. Nec tamen ante annum c<sup>l</sup>xi c<sup>l</sup>c<sup>l</sup> Galli penitus videntur exclusi, aut barbari sub jugum missi: *Antonius enim Knivetus* Anglus narrat se eo anno cum Præfecto fluminis Januarii venisse *Pernambucum*; cuius Præfetus *Emanuel Mascaremas* rogatus à *Feliciano Cuello*, quem barbari maximis copiis ad ripas hujus fluminis undique premebant, cum quadringentis Lusitanis & tribus millibus barbarorum qui ipsi parebant, movit è *Pernambuco*, & septimo die pervenit ad hostium castra, in quibus erant quadraginta millia barbarorum statimque congressum cum perduellibus, ingenti clade illos cecidisse, ita ut quinque millia in prælio mactaret & tria millia caperet. Principem autem *Petiguarium Piraju-wath*, tanta clade consternatum, pacem petiisse à Lusitanis & certis conditionibus se dedidisse & vasallum Regis Hispaniarum esse factum. Postilla arcem ad ripas fluminis hujus structam & pluribus machinis bellicis instructam, adeo ut postilla hic nova Præfectura fuerit constituta, quæ hodie decima Brasiliæ Capitania, ut vocant, censemur.

Nostrates qui sub exitum anni c<sup>l</sup>xi c<sup>l</sup>xxxii è Pernambuco cum classe profesti erant, ut arcem hanc expugnarent, testantur: Arcem hanc structam esse ad ripam ingredientibus sinistram, super rupem, quæ angusto alveo à continente dividitur, & muro saxeо cinctam, satis alto, cum suis propugnaculis, quæ utrimque in flumen prominent & pluribus machinis bellicis sunt instructa, ita ut arx difficulter admodum adiri & à paucis contra plures propugnari possit: nam ita sita est, ut naves ingredientes, necessario proprius accedere & machinarum iectus cum summo discrimine tollere cogantur: Sola fame aut siti domari possunt præfidiarii, nam aquam è vicino torrente aut amniculo petere necesse est, qua negata in summas angustias incidenter.

Cæterum hæc Præfectura à Lusitanis haud ita multis incolitur, nam præter præfidiarios sexaginta aut octuaginta qui in arce degunt, pauci in vicino pago habitant; habent hic unam atque alteram machinam Saccharo molendo comparatam; & aliquot villas in quibus pecuariam excent. Barbari hic admodum pauci habitant, nam plurimi variis cladibus attriti interierunt; alii Portugallorum odio profugerunt ad *Tapuyas*, inter quos latitant, occasionem operientes, qua ad sua reverti possent.

## C A P. VI.

*Ora Brasiliæ septentrionalis à Rio grande ad Siaram, secundum Figueiredum & alios.*

**F**igueredus hanc oram ex instituto designans, numerat primo à flumine Grandi ad promontorium *de Siara* duas leucas, pone quod amnis egreditur ejusdem nominis; Nostrates vero intermedio spacio & vix uno milliari à *Rio grande* meminerunt sinus admodum opportuni, quem barbari vocant *Ienipabou*: à Promontorio *Siara* ad sinum *Petitigua* numerat novem aut decem leucas; patentissimus hic est sinus & adversus incerta ventorum egregiè munitus.

Alii numerant à Promontorio *Siara* ad amnem *Morungapen* leucas duas, & inde ad cornu terræ quod vocant *Pequetingam* sex.

**O**marmo, A sinu *Petitigua* pergit ora versus corum, modo alta, modo humilior, & variis locis denso nemore virens ad *Omarco*, ut vocant viginti & quinque leucis, hic quondam limes fuisse videtur inter Lusitanos & Castellanos.

Alii numerant à *Pequetinga*, ad cornu *Chugasu* sive *Vgassumba* leucas sex; & observant è regione hujus cornu vada *S. Rochi* desinere. Sequitur deinceps secundum eosdem cornu terræ quod appellatur *Vbaranduba*.

**G**uamare. Ab *Omarco* ad *Guamaren* numerat quindecim leucas, ora autem omnis intermedia maximam partem humilis est, nisi quod paucis locis aliquot arenosi colles videantur, pone quos procul intra Continentem fese aperiunt altissima montium juga, qui à barbaris

barbaris appellantur *Buturuna*; distat autem *Guamare*, secundum alios, ab  $\text{\textcircumflex}$ equatore *Buturuna*.

Haud longe à *Guamare* subducit se ora, facitque sinum, cuius solum in ambitu fluctibus inundatur, & arboribus illis tegitur, quas vocant *Mangues*; atque hic jacent celebres illæ *Salinae* quas vocant de *Guamare*, è quibus plurimum candidissimi salis peti *Salinae*. potest, qui hic sponte generatur. Alii notant fluvium esse & appellari *Caru-Aretuma* sive *Rio de Salinas* & distare à *Guamare* tribus leucis versus Occidenteitem.

A *Salinis* ad sinum *Maretubam* numerat duas leucas; amplissimus est sinus & qua-  
tuor ostiis admittit Oceanum. Hinc jam ora longe editior cernitur & pumilis arbo-  
ribus vernans ad Cornu usque terræ, quod vocant *Punta do mel*, juxta quod salsus tot-  
rens erumpit qui dicitur *Guararahu*. Alii à *Rio de Salinas* monent ab ora navigandum  
esse duabus leucis, propter vada & rupes, & ex hac ora exire quatuor amnes medium  
leucam à se invicem discretos *Guapetubam*, *Manetubam*, *Gorarassu* & *Persin*, quorum  
ora rupibus obstructa sint, & à frequentibus barbaris accolantur; & *Puntam do mel*  
à barbaris appellari *Cucaratubam*. Duabus à *Guararahu* leucis egreditur amnis *Vquiaguarra* & octo ab hoc alter quem vocant *Hupanemam*: subsidet hic tursus ora, palmeto  
læte vernans usque ad rubentes aliquot clivos & sinum *Vbarane*; à quo ad *Iaguaribe*  
numerat decem leucas: alii tantum octo: ad altitudinem quatuor graduum ab  $\text{\textcircumflex}$ equatore  
versus Austrum.

20 A *Iaguaribe* attollit se rutsus ora, multis arboribus amæne vestita, usque ad *Iguape*.  
pen leucis viginti: patens hic est sinus sed aquationi plane inidoneus.

Ab *Iguape* ad *Mocuripe* numerat octo leucas, ora autem intermedia valde edita  
est, pone quam procul intra Continentem visuntur alta juga montium, qui à bar-  
baris appellantur *Camume* vel *Aquimume*: quinque autem leucis ab *Iguape* egreditur  
fluvius importuosus & adversus tempestates indefensus *Ypocaru*; & duabus ab eo  
leucis *Rio Coco*. distat *Mocuripe* sinus ab  $\text{\textcircumflex}$ equatore tribus gradibus & quadraginta  
scrupulis versus Austrum. Ab hoc brevi intervallo abest *Siara*, ubi Portugalli haud  
ita super incolere cæperunt, ita ut hanc inter Brasiliæ Capitanias numeret *Olyveira*.

Barbari, quos à nostris edoctos supra diximus, hanc oram ita nobis descripserunt.

30 A *Rio grande* ad amnem *Siaram* sunt diræ leucæ.

A *Siara* ad amniculum *Piracabubam* una: ubi nulli Portugalli incolunt.

A *Piracacuba* ad *Pecutingam* duæ; hic statio est commoda & aquatio facilis.

A *Pecutinga* ad amniculum *Vguasu* sex: ad *Kaalsam* octodecim: ad *Guamaren* duæ:  
ad amnem *Carwaretamen* una: hic jacent *Saline* illæ, è quibus plurimum salis peti po-  
test, præterquam pluviis mensibus, imprimis Maio & Junio: ad amniculum *Baritubam*  
dimidia leuca. Ab hoc porro ad amnem *Guararahu* una: supra hunc fluvium frequen-  
tes incolunt *Tapuya* Portugallis infensissimi, & pone hos alia barbarorum natio, qui  
*Iandovii* appellantur.

40 A *Guararahu* ad amniculum *Iandupatiba* bidui iter est, & dimidia leuca, ab hoc  
exit exilis torrens *Wupanema*; ad utrumque hunc amnem nulli degunt barbari.

A *Wupanema* ad *Amaranne* sunt sex leucæ: & ab eo totidem ad amnem *Yugu-*  
*rich*; dimidia porro ad amniculum *Pariporie*, & una ad *Guatapugui*. Iuxta horum  
ripas degunt barbari è *Tapuyarum* natione, qui vocantur *Iapovaton*; Portugallis  
infensi.

50 Ab his sex itidem leucis egreditur amniculus *Wichoro*, ad cuius ostium nulli  
quidem degunt mortales, sed intra Continentem habitant *Kitaryouwi* è gente  
*Tapuyarum* & Portugallis infensi: unde Figueredus in itinerario monet has gentes  
caute vitandas esse. Bidui autem itinere à littore jacent edita juga montium *Wichoro*,  
ubi plurimum nitri reperiri volunt barbari, quod ipsi vocant *Tatawich*, & è petris  
destillare ajunt instar salis, mole pisorum.

A *Wichoro* ad *Yguaguasu* numerant sex leucas, ubi nulli degunt barbari; & ab *Ygu-*  
*aguasu* ad *Moncouru* undecim & denique ab hoc unam ad *Siaram*.

*Praefectura Brasiliæ Septentrionalis quam vocant Siaram, & reliqua ora usque ad Maranon.*

**A** NTEQUAM de ipsa praefectura dicamus, pauca sunt observanda de *Mocouru*, cuius tam nostri, quam alii meminerunt: Sed nostri interdum variant in loci illius situ; nam alii constituunt ad altitudinem trium graduum & vinti ac trium scrupulorum, putantque illum sinum à Gallis vocari *Tres tortugas*: alii vero ad altitudinem trium graduum & duorum supra quinquaginta scrupulorum: ita ut nomen hoc applicent duobus sinibus, qui à se invicem distant milia duodecim.

Quidam nostrorum qui anno 1510 mense Novembri applicuit ad sinum *Mocouru* ut ipse vocat; narrat plurimos barbarorum venisse ad ipsius naves, à quibus didicerit haud longe abesse montem in quo plurimi smaragdi reperiantur: Seque cum eisdem egressum in terram, pernoctasse in frequentissimo barbarorum pago, in quo supra quinque millia offenderit, qui metu hostium huc confluxerant; deinde pervenisse ad editum montem, è quo petra durissima & candidissima extabat, in qua Smaragdi elegantissimo viridi colore conclusi videbantur: inopia tamen ferramentorum, nulla fragmenta inde potuisse deducere. Narrabant denique barbari Gallos hic aliquoties fuisse. Sed jam de Siara videamus.

*Siara* numeratur inter Capitanias Brasiliæ, quæ à Lusitanis possidentur, ut ante diximus; pauci tamen hic degunt Portugalli, in exigua arce, quam ad radicem montis condiderunt, juxta dextrum latus ipsius portus, qui mediocrum navium capax est. Arx tantum ligneis palis cincta est sine ullo muro aut terreo vallo. Sub radicibus montis cui arx superjacet labitur exiguis amnis, neq; hic ullus reperitur amnis, qui supra tria millaria è Continente descendat. Infra arcem decem aut duodecim domicilia structa sunt à Lusitanis, præter Praefecti ipsius ædes, quæ haud longe distant ab arce. Limites hujus præfecturæ ad decem aut duodecim leucas in ambitu patent. Solent quotannis duæ aut tres minores naves hic appellere, atque varias merces hinc ; deducere, gossypium, crystallum, aliasque gemmas & varia ligna: plurimæ quidem hic nascuntur cannæ sacchari, sed nulla dum machina illis molendis hic constituta: nec quicquam hic satis validi adversus hostes. Barbari vicini plerumque cum Portugallis discordes; Princeps enim eorum, aliis quinque regulis imperare dicitur, qui singuli quadringentos aut circiter subditos numerant. Decem denique dierum itinere intra continentem celebrant barbarorum regnum *Iavarobate*.

Barbari nostri, quorum jam aliquoties meminimus, testantur portum Siarae non nisi minorum navigiorum patientem esse: majoribus magis idoneum esse sinum *Mocouru*: quatuor autem horarum itinere à *Mocouru* barbaros Tiguares incolere in pago *Tapirugh*, qui duobus regulis parent *Kiaba* & *Vawassow*. Unius denique diei itinere 40 sex leucis à *Tapirug* abesse montem *Boragnabam*, quem argenti venas intra viscera condere arbitrantur.

Secundum Figueredum, sequitur post Siaram ad eandem oram, sex leucarum in-  
Paramiri tervallo Sinus, quem à flumine quod in illum egreditur, vocant *Paramiri*; hujus flu-  
minis unda & potari pulchra est, & ad ripas illius plurimæ nascuntur arbores quæ  
*Caios* ferunt: accolæ sunt Tapuyaæ Portugallis infensi. Secundum alios sequitur post  
Siaram lacus aquæ dulcis quem vocant *Vpezem*.

Ab occidentali hujus Sinus angulo, ad Cornu terræ quod barbari nominant *Itaiuba* vel *Tataiuba* sunt octo leucæ; spacio autem quasi medio egreditur fluvius *Tiraiva*.

A *Tatajuba* ad amnem *Mondahugh*, quatuor: sequitur deinceps *Satahuba* & por- 50 ro Sinus *Ieruquacuara*, ubi summa est aquandi opportunitas, sed vitandi sunt accolæ *Tapuya* & *Tabaxares* Portugallis supra modum infensi: nihil secius anno 1510 CXIII septuaginta Portugalli hic sedes fixerant, in pago *Nostra Sennora de Rosario*; quas anno sequenti rursus deseruerunt, ad Maranon profecti.

Hinc ad fluvium *Camusi* vel *Camocipe* numerat octo leucas: & ab hoc ad fluvium *Guasipuiram* quinque, & porro ad *Iosaran* tres. Sequitur patentissimus Sinus, qui valide

valide in Continentem irrumpit; excipitque gremio suo vastum quidem fluvium *Param*, sed ostio valde vadoſo. Alius Nauclerus Lusitanus numerat à Camocipe ad flumen *Para ovasa* triginta leucas; & collocat illud ad altitudinem duorum graduum & triginta scrupulorum. A quo ad Marannon supersunt quinque & viginti leucæ; ora autem humilior est & arboribus nuda, maxime qua fluvium *Maripen* emittit; à cuius ostio ad sex leucas ora manguis arboribus obsita est, littore arenoso, usque ad pulcherrimum amnem *Peream*, cuius æstuarium ad leucam integrum patet, & orientalior est aditus ad Sinum Marannon & oppidum sive arcem *S. Iacobi*, quam Lusitani incolere cœperunt anno cI5 I5 cXIV. Alii Lusitani numerant à Para ſedē cim leucas ad alterum fluvium quem vocant *Rio das Preguias*: & ab hoc novem ad fluvium *Marii*, à quo ad *Peream* supersunt leucæ ſex. Meminit alibi Figueredus, patentis Sinus & qui plurimas minores insulas complectitur, diciturque *Ototay*, viginti leucis à Marannon versus Ortum & duobus gradibus & quadraginta scrupulis ab Äquatore versus Austrum.

Noſtrates qui has oras lustrarunt superioribus annis, meminerunt Promontorii, quod Lusitanis dicitur *Cabo Blanco*, duobus gradibus & triginta octo scrupulis ab Äquatore versus Austrum; vel ut alii pene tribus gradibus, A quo ad flumen *Camusi* ſive ut noſtrates vocant *Campocip* vel *Camocipe* numerant ſex aut ſeptem leucas. Idem & fluvii *Rio de Cruz* meminerunt, qui diſtat à Camouſi decem millaria; hic fluvius oblitato eſt ore, neque interius ſupra ſeptem aut octo palmos altus. Verum monent Lusitani *Camocipen* in nonnullis Tabulis Hydrographicis appellari *Rio de Cruz* & diſtare ab Äquatore duobus gradibus & quadraginta scrupulis. Ab hoc ad alterum, quem vocant *Rio Grande*, numerant novem leucas, atque hic diſcilleme propter vada adiri potest; ripas tamen illius à plurimis barbaris accoluntur. Barbari autem noſtri designant, quinque leucis à Siara amniculum *Vpeſem*: & totidem ab hoc *Param*; & porro *Couru*, *Tareguy*, *Tatayough*; *Pounaſugh*, *Aracatiſugh*, *Paratiſugh*; *Tirnohugh*, *Iuriaquere*, *Vpeba*, *Camuſipe*, juxta quem & argentum & crystallum reperiri produnt: Sed tempus eſt ut ab hiſce incertis, ad certiora nos conferamus.

Quidam denique noſtrorum, qui has oras adiit anno cI5 I5 cIX meminit Sinus cuiuſdam, quem vocat *de Arrekeytos* tribus gradibus ab Äquatore versus Austrum: & fluvii *Rio de Lies* uno gradu & quinque ac quadraginta scrupulis ab Äquatore: ubi viderit barbaros vasto corpore, deformi vultu, prolixis comis, auriculis perforatis & pendulis pene ad humeros usque; cutem nigro colore tintos præterquam ab oculis ad os: quibusdam labium inferius, aliis & nares erant perforatae, quibus lapillos & oſſicula indiderant.

## M A R A N N O N ſive M A R A G N A N .

*Generalis descriptio hujus provinciae, & quædam necessariò obſervanda.*

QUEMADMODUM tam Hispanorum ſeu Lusitanorum Tabulae geographicae plurimum variant in nominibus locorum & reliquis circumſtantiaſis inter *Paraibam* & *Marahnaon*, ut ipsi vocant: ita plurimum diſſerunt inter ſcriptores in designatione hujus fluminis Marannon, quia id nomen pluribus & valde diversis fluminibus ſolent attribuere: & maxime tribus fluminibus quæ ad hanc Americæ Meridionalis oram ſeptentrionalem in Oceanum exeunt, nimilum huic flumini de quo jam agimus, *Orellanæ* ſive *S. Juan de las Amazonas*, & *Orenoque*: quemadmodum videre eſt in *Hiftoria Iofephī de Acſta* (ut alios multo indiſtinguitiores omittam) qui ſcribit ingens illud flumen, de quo agit, ab aliis *Rio de Amazonas*, ab aliis Marannon, ab aliis denique *Orellanam* appellari, exire autem ex adverſo Insulae Trinitatis: in quo illum egregie halucinari nemo dubitabit, qui horum locorum vel mediocriter gnarus fuerit: Qui error ex eo natus videtur, quod Hispani ſcriptores tam promiscue hoc nomen Marannon uſurpent; nam *Herrera* (ſcriptor alioquin ſatis accu-

accuratus) de provinciis Quitenis Præfecturæ agentis, crebro ita loquitur, hanc aut illam provinciam sitam esse versus Maranon, quum tot flumina & tantum terrarum spaciū intersit: idem & in aliorum designationibus observavimus quum de Peruvia ageremus, quæ hic repetere non est necesse: ut autem hunc errorem semel tollamus & liquido pateat, cui potissimum fluminī id nomen jure competit; singulorum horum fluminū origines, cursus & ostia distinguemus. *Orenoque* qui aliter *Vyapari* dicitur, de quo suo loco plura dicemus, oritur ex orientali atere montium qui Popayanam vel etiam Novum Regnum Granatæ ab ortu concludunt, & pluribus ostiis exit in oceanum è regione Insulæ Trinitatis, ut omnibus jam notissimum est. Orellana autem sive *Rio de las Amazonas* potissimum oritur (nam ab alterutra plaga plures in illum confluunt amnes) è Peruvianis Andibus haud longè à Quito, ut Pizarri expeditio, de qua mox, facit fidem; & egreditur in Oceanum per plurimas insulas duobus aut circiter gradibus ab Æquatore versus Arctum, & aliquot centenis milliaribus ab Orenoque versus Ortum: ita ut mirum sit *Herrera*, qui expeditionem hanc *Pizarri* Historiæ suæ inseruit, & qui recte, meo quidem judicio alibi scribit, amnes omnes qui supra & infra *Xauxam* vallem oriuntur, labi in *Paraguayum* & ita per flumen Argenteum in Oceanum Atlanticum, potuerit excidere, Orellanam oriri haud longe à *Cusco*; quanquam non ignorem vulgari errore Hispanis, in Peruvia Maranon passim in Limano Conventu juri-dico oriri. Maran non denique, sive id fluvii nomen sit nec ne (nam fluvium esse negat Abbævillanus, ut statim videbimus) constanter agnoscunt omnes Tabulæ Geographicæ, & itineraria Lusitanorum hoc loco ad quem jam descriptio-nis ordo nos deduxit; flumina autem illa tria quæ hic in sinum confluunt, cui insula Maragnan injacet; & imprimis medium quod peculiari nomine vocant *Taloncourou*, oriuntur procul intra Continentem, descenduntque recta à Meridie versus Arctum, pone Brasiliæ provincias; quum cætera Orenoque nimirum & Orellana, è montibus Peruviae, aut Novi regni Granatensis dilapsa, ab occasu aut Africo descendant versus ortum aut boream. Quare, ut hanc ambiguitatē semel proligemus, nomen Maranon huic fluminī sive fluminibus vindicabi-mus, quæ in hunc sinum confluunt & inter plures insulas eluctantur; & inter Bra-siliæ septentrionalis provincias numerabimus, quia scriptor Lusitanus *Oliveira*, eam inter Capitanias numerat quæ à Portugallis in Brasilia possidentur. In ea autem de-scribenda potissimum sequemur Claudiū Abbævillanum Capucinum, qui anno *clo 15 cxii* Commentarium suum Parisiis edidit qui inscribitur, *Histoire de la mission des Peres Capuchins en l'isle de Maragnan*.

## C A P. IX.

Descriptio Maragnanæ secundūm Claudium  
Abbævillanum.

**S**CRYPTORES omnes Geographici (inquit) qui Brasiliam descripsérunt, nusquam meminerunt Insulæ *Maragnan*, quum frequenter mentionem faciunt fluminis *Maranon*, quod in hisce partibus plane ignotum est, nisi si sinum *Maragnan* pro flumine velis accipere, aut id nominis alicui fluviorum, qui hic exēunt, assignare; magno errore, quia singula obtinent propria nomina, ut mox dicetur; neque accolæ id nomen ulli fluviorum tribuunt, sed Insulæ. Porro sinus hic patet ad mare in longitudinem inter duo terræ cor-nua supra viginti & quinque milliaria, & pene totidem in ambitu intra Conti-nentem.

Ab ortu clauditur primum modica insula, quam barbari vocabant *Vpaonmiri*, Galli nunc *Ilette de S. Anna*; excipit dein aliquot leucarum intervallo magna Insula *Maragnan*, patens in ambitu circiter quinque & quadraginta milliaria, & distans ab Æquatore versus Austrum duobus gradibus & triginta scrupulis.

In intimum sinus gremiū egrediuntur tria pulcherrima flumina, è regione magnæ hujus insulæ *Maragnanæ*, eamque undique cingunt, ita ut ab una parte quinque aut sex milliari-

milliaribus , ab altera duobus aut tribus , à cæteris partibus pluribus aut paucioribus <sup>Mounin.</sup>  
absit à Continente. Primum flumen & maximum Orientale appellatur *Mounin*, quod  
quadraginta aut quinquaginta milliaribus supra ostium, è Continenti dilabitur, estq;  
in ostio latum quartam milliaris partem. Secundum sive medium flumen vocatur  
*Taboucourou* circiter dimidium milliare in ostio latum, & supra quadringenta vel for-  
te quingentia millaria è Continente descendens. Tertium sive Occidentale appel-  
lant *Marii*, quinque aut sex millaria in ostio latum, & ut communis est opinio, sub ipso  
Tropico Capricorni oriens , à quo barbari illud descendere ferunt. Sunt alia hīc  
præter hæc flumina , uti *Maracon* quod se condit in amnem *Pinaren*; *Pinare* autem  
10 confluit in *Maryn*, circiter septuaginta aut octuaginta leucis ab illius ostio. Et  
supra hunc adhuc aliis amnis , qui *Ouaieoup* nominatur qui è sylvis egrediens,  
itidem à *Marii* recipitur : quo fit, ut *Marii* perniciter descendant, quemadmo-  
dum & *Taboucourou*, qui in ipso pene ostio nonnihil coarctatur à duobus scopulis;  
quo fit, ut hæc flumina ingentes fluctus evolvant , & Insulam Maragnanam dif-  
ficilem accessu faciant: quibus accedunt vada & brevia quibus extérius & ver-  
sus Oceanum cingitur, ita ut summa cautione & peritissimis naucleris opus  
fit iis, qui sinum hunc ingredi & insulam attingere desiderant: Nam insula hæc  
veluti clavis est hujus provinciæ; reliqua enim ora tam versus ortum quam versus  
occasum, cum summo discrimine aditum, propter vada & arenosos pulvillos,  
quibus inde à Promontorio *de la Tortue* usque ad Promontorium *des Arbres Secs*, ut Gallis dicuntur, tegitur, ad quatuor quinque & interdum plura  
20 millaria in altum egredientibus; ad eundem modum ora se habet, à Promon-  
torio *Tapouytapere* quod sinum ab Occidente claudit, ad magnum flumen *Ama-  
Zonum*: universa enim tegitur infinitis insulis, ipsaque ora penitus obsita est den-  
sissimis nemoribus arborum Maguium (Galli vocant *Apparituriuers*) quæ ramis ita  
inter se connexæ sunt, ut instar vepreti oram obsepiant; (præterquam quod  
litoris arena vestigia hominum hauriat) & allabentes in terram penetrare  
prohibeāt.

Quum itaque ora utrimque & ad ipsam insulam ita se habeat, restant tantum  
30 duo ad sinum & Insulam aditus, unus inter Promontorium Arborum siccaram &  
exiguam illam insulam *S. Anne*; qui & ipse non vacat discrimine, & etiam à gnaris  
metuitur; neque tamen majora navigia ulterius ascendete possunt quam ad hanc In-  
sulam, minoribus autem ad magnam insulam licet promovere. Alter aditus ab altero  
*S. Anne* latere nuper inventus fuit, majoribus quidem navibus idoneus, sed non  
sine peritissimo nauclero & certis tempestatibus tentandus. Incolæ majoris Insulæ  
Maragnan, vocant pagos suos *Oc* sive *Tave*, qui tantum constant quatuor grandiori-  
bus domiciliis, instar claustræ quadrangulari forma conjunctis, ita ut amplam aream  
in medio concludant: Sunt autem utplurimum ducentos nonnumquam & trecentos,  
atque etiam quingentos passus longa ; & viginti quinque aut triginta pedes lata;  
40 composita è vastis arborum truncis & ramis inter se connexis; à solo ad fastigium  
Palmarum foliis adversus aëris injurias tecta : Palmae arbores , ipsis dicuntur *Pindo*,  
nascunturque hic passim in sylvis maxima copia.

Horum pagorum numerantur in hac majori insula septem & viginti, diversæ ma-  
gnitudinis; qui ab insula *S. Anna* appellantibus primo aditum, dicitur *Timbohu*; proxi-  
mus *Itaparii* à tribus piscinis quæ adjacent; tertius *Carnoupiop*: quartus *Euayne*: quin-  
tus, *Ira-Endave*: sextus *Arosove-leuve*; septimus *Pindotune*: octavus *Ova Timbooup*:  
nonus & maximus *Iuniparan*: decimus *Toroiepeep*: undecimus *Ianouarem*; duodeci-  
mus *Ovarapiran*: decimus tertius *Coyeup*: decimus quartus *Eussa-onap*: decimus quin-  
tus *Maracana Pisip*: decimus sextus *Taperoussou*; decimus septimus *Torooup*: decimus  
50 octavus *Aketeuve*, decimus nonus *Carana-uve*: vigesimus *Ieuireu*; vigesimus primus  
*Eucaton*: vigesimus secundus minor *Ieviree*, vigesimus tertius *Oury-Ovassueupe*: vige-  
simus quartus *Mayone*: vigesimus quintus *Pacoury-Enié*: vigesimus sextus *Euapar*: vige-  
simus septimus *Merouenty-Euve*. In hisce pagis interdum ducenti aut trecenti, inter-  
dum & quingenti aut sexcenti reperiuntur incolæ; ita ut Galli judicent Insulam tum  
à decem aut duodecim millibus fuisse habitatam.

## Insulae Maragnanæ Cœli solique qualitates.

**C**OELUM in hac insula plerumque suidum, diesque ut plurimum sereni: nullum pene frigus aut immodicæ siccitates: rarissimæ nebulæ aut vapores valetudini habitantium noxii: nullæ tempestates aut ventorum turbines; nullæ nives aut grandines; infrequentia tonitrua, nec nisi pluviis mensibus; fulgura nonnumquam sub vesperam, atque etiam matutino tempore, cœlo vel maxime sereno.

Sol autem à Tropico Capricorni, ad Cancri Tropicum revertens, in omnibus 10 hujus plagæ regionibus, pluvias præ se agit, quadraginta ut plurimum diebus antequam supra verticem ascendat, & postquam zenith illarum superaverit, duobus aut ad summum tribus mensibus hic continuo pluit pro clymatum diversitate; in hac vero Insula ab exitu Februarii ad initium aut medium Junii. Post solstitionem autem æstivum, sole versus Capricorni tropicum regrediente, venti ab Orientali plaga (*Brisas* vocant vulgo) excitantur, & quo propior ad illarum zenith accedit, eo intentius; quo vero longius abjerit, eo remissius perlant; oriuntur fere post crepusculum, hora videlicet septima aut octava matutina, & quo magis sol supra Horizontem elevatur, eo vehementius spirant; post meridiem sensim remittunt, & sole Occidente spirare desinunt. Nec tamen aliis in hac 20 insula & vicina Continente ventus sentitur quam ab Orientali plaga, quo & æstus egregie temperatur & aër imprimis salubris efficitur. Quumque hæc insula tam exiguo intervallo distet ab Aequatore, æquabili dierum noctiumque discrimine, atque uniformi aëris temperamento gaudet per totum pene anni tempus: nec ullum clyma jucundius aut habitationi hominum accommodatius facile posset reperiri.

Solum hujus Insulæ licet undique circumcingatur à mari, nihilo secius abundat fontibus & scaturiginibus, dulcium, limpidissimarum & saluberrimarum aquarum; pluribusque rigatur rivulis: adeoque fæcundum est, ut licet numquam stercoretur aut interquiescat, tamen Mayzium (quod incolæ hujus Insulæ vocant *Avattyii*) intra 30 tertium mensem ex quo satum est reddit ingenti fænore, idque aliquoties singulis annis. Radices *Maniot* quibus pro farre vulgo utuntur celerrime in magnam accrescunt molem: melones maturantur intra secundum à satione mensem, colligunturque pene omnibus anni mensibus: reliquorum fructuum similis est ratio.

Porro quæ mercium loco ex hac Insula & Continente peti possunt, hæc fere sunt: lignum Brasiliense, itemque croceum & alia: *Gossypium*, *Rocou*, id est, tinctura quædam rubra, quæ maxima hic passim copia reperitur; *Laccæ* quædam species: & *Balsamum*, quod *Abbævillanus*, quem hic sequimur, cum Arabico componit; optimæ notæ *Tabaccum*; *Piper* sive *Axi*, & similia. Qui autem telluris dotes accuratius explorarunt, *Sacchari* cannis alendis vel maxime idoneum arbitrantur. Ad oram 40 autem maris non raro reperitur Ambar, ut vocant griseum.

Nec gemmarum effæta est tellus; reperitur enim in terræ visceribus jaspidis quædam, ut volunt, species, è qua lapis illos, quos labiis suis inferunt, solent polire: item Crystalli candidi & rubicundi vena, quæ adamantes, quos Galli vocant *Alenzonios* superat duritie, & plures ejus generis gemmæ.

Quæcunque ad ædes fabricandas necessaria sunt, passim reperiuntur, materies dura atque firma, lapides peridonei, argilla quoque ad lateres coquendos aptissima, cémentum denique & calx.

Denique nec patentiores campos obtinet hæc Insula, nec in vastos aut altos montes assurgit, sed modicis tantum collibus erigitur, ad quorum radices limpidissimi 50 fontes exsiliunt, qui planiciem rigant: & non paucos rivos atque torrentes progressant, barbarorum quoque lintribus navigabiles. Cætera densis arborum lucis obsita sunt (inter quas *Palmæ* eminent, utimox dicemus) magno venatus & aucupiæ compendio.

*Arbores fructiferae quæ in hac Insula reperiuntur.*

**H**Æc insula habet plerasque fructiferas arbores cum reliqua Brasilia communes, quas jam supra descripsimus, ita ut pene supervacaneum videri possit easdem hic denuo attingere; verum quum nomina non nihil differant, & nōtæ quædam diligentius ab Abbævillano videantur observatae, lectoribus haud ingratum fore existimo, easdem hic secundum illius observationes describere. Inter illas tio eminet *Acayou* proceritate atque caudicis crassitie pomos aut pyros nostrates plerumque superans; folia nucum frondibus haud absimilia; flores exigui, roscidi & non inelegantis odoris, qui à longinquo sentitur; fructus fert diversarum formarum, & colorum. Nam aliis est pyro similis, colore ubi maturuerit flavo exterius, interius candida carne & succi plena; cui nux quædam succrescit, renis ovillæ forma, durissimo putamine & oleoso, ita ut facile flamمام concipiatur, nucleo instar amygdalæ. Alter magis rubet, sed acidiori est succo. Tertius longe minor atque acidior, è quo acetum conficiunt. Quartus longe maximus, gratissimique saporis, vocant *Acaion-Ovassou*; omnes autem incipiunt maturescere mense Martio atque Aprili, & fere omnibus anni mensibus. Barbari exprimunt ex illis liquorem quandam, quem 20 cant *Acaion-Caoum* candidum & potari pulcherrimum, palatoque imprimis gratum. Magna harum arborum hic ubique est copia, facilime enim succrescent è nucleis, atque altero statim anno dant fructus. Sed plura de hac arbore diximus jam supra.

*Bannanna* procera arbor foliis prægrandibus, & supra cubitum longis & binos palmos latis: fructu cucumeris pene magnitudine, cortice croceo, sed carne albicante instar pomi.

*Mangua* fructus fert prunis præcocibus non absimiles, sed paulo maiores & exofses, suavis atque optimi saporis. Supra descripsimus sub nomine *Manguabe*.


*Iracaha* arbor vasta & patula ramorum opacitate in vertice lasciva, foliis pene fi- 30 culneis; floribus flavis; fructu pyri formâ, cortice subflavo, carne intus sapida & optimi, ut credunt, nutrimenti.

*Ovaierova* alta & vasta arbor, foliis quercus sed paulo majoribus, floribus dilutè flavescentibus; fructum fert pedem longum & majoribus melonibus parem, extra & intus flavum, suavissimi & fragrantissimi odoris, sed exilibus & nigricantibus nucleis plenum.

*Iunipap* procera & ramosa arbor, foliis item quercus, sed duplo majoribus, floribus candidis, fructu rotundo instar pomerum; immaturus amrior est: barbari mastican illum ut succum eliciant, qui licet limpidus sit atque albicans, faciei tamen aut manibus illitus, paucis horis ita nigritat, ut atramentum videatur, neque ablui potest, sed post octo aut decem dies evanescit sponte; cutem suam hoc succo tingunt barbari. Ubi autem maturuerit, intus atque exterius flavescit & gratissimi est saporis. Supra eandem arborem descripsimus *Ianipabæ* nomine, hic autem Iconem addimus ex Clar. Viri Caroli Clusii exoticas.

*Agoutitreva*, vasta arbor foliis aurantiorum, sed latioribus; floribus roscidis, treva.

Vv 4



Agouti-  
treva.

fructu

fructu ampio, cortice viridiore, intus concludit exiles acinos instar granatorum, dulces & palato non ingratos.

*Araticou* foliis & floribus praecedenti non dissimilis, sed fructu paulo majori, optimi saporis & jucundissimi odoris.

*Caoup.* *Caoup* frondibus pomi, sed magis patulis, floribus è luteo & rubro mixtis; fert fructum aurantio malo forma atque sapore haud dissimilem, nucleis plenum.

*Euvavirap.* *Euvavirap* procera & vasta arbor, frondibus perexiguis, floribus rubicundis, fructu exili, qui unam crispam tam mole quam figura non male refert.

*Ama-uve.* *Ama-uve* cum ficu, tam foliis, quam fructibus omnino videtur convenire.

*Goyave.* *Goyave* sine *Morgoya* fruticis species, quæ arbores complectitur, foliis campanellæ, flore eleganti & palmum lato, echinatis foliis & stellæ in modum diductis, purpurei coloris; fructum fert ovi magnitudine, sed rotundiorem, plenum granis, & cortice è viridi & luteo mixto; grati si coctus fuerit saporis: quare & saccharo conditur.


*Ovacou-*  
*iii.* *Palmarum* quatuor species hic reperiuntur; priot dicitur *Ovacourii*, quæ vera Indorum palma, ferens folia *Pindo*, quibus tuguria sua contegunt: nuces fert oblongas ovis anserinis forma & magnitudine pares, putamine ligneo, quatuor aut quinque nucleos continente, oblongos; grati saporis, è quibus barbari suavissimum atque optimum oleum exprimunt. In ipso autem arboris trunco reperitur medulla candida, pro arborum mole major minorve tibia humana, *Ovacoury-rovan* vocant barbari quæ cruda coctaque inter cibos usurpatur.

*Meury-*  
*ty-uve.* Altera species appellatur *Meuryty-uve*, quæ fructum itidem fert ovi magnitudine, cortice exterius rubicundo & nigris maculis distincto, intus rubro; qui unicam tantum nucem continent, dulcem atque edulem.

*Ynaia.* Tertia dicitur *Ynaia* frondibus & caudice praecedentibus similis, fert fructus suos racematum, magnitudine olivarum, ducentos nonnunquam & trecentos uno racemo, ita ut unus singulis racemis ferendis vix par sit.

*Carana-*  
*uve.* Quarta species *Carana-uve* folia fert patula, instar flabellorum, quibus foeminæ solent uti, fert autem fructum pruno damasceno non absimilem.

Forte & ad hanc *Palmarum* classem referenda est arbor, cuius tantum fructum accepimus quem hic exprimentem curavimus, durissimo & ligneo putamine, quo duæ nuces continebant ea mole, quam in Icone adjuncta videre est.



*Toucon-uve* duabus prioribus palmæ speciebus, foliis haud absimilis, verum acutatis, qualis & truncus illius atque rami, medulla intus nigra & dura, barbari utuntur illius

illius materie ad arcus & clavas suas. Fructus illius proveniunt racematis, vocant *Tocons*, rotundi, & ubi maturuerint exterius flavi, nucleo albo & suavissimo.

*Pacoury* procera & vasta arbor, pomi frondibus, flore albo, fructu duorum pugnorum magnitudine, cortice dimidium pollicem crasso, qui coctus aut saccharo coditus, imprimis celebratur; continet præterea binos aut ternos nucleos haud insuaves.

*Vva-ovassoura* ingens arbor, frondibus pyri, floribus candidis, fructum fert *Pacoury*. *Vva-ou-ry* non absimilem, cute flava, dulcis saporis, osse interius facto ad persicorum modum, nucleo amygdalis paulo majori & ejusdem saporis.

*Wamenbec*, magnitudine, frondibus, floribus atque fructibus à pomo non multum abludens; fructu croceo & delicato; sed nucleus non manditur ob insignem acrimiam qua pollet.

*Copovich-ovassou* pyro frondibus & fructu admodum similis, nisi quod fructus oblongior sit & flavor, & tria intus ossicula perdura continet. *Copo-vih.*

*Copovich-ajoup* pruni arboris mole, frondibus castaneæ, floribus candidis & luteo colore mixtis, fructum fert instar minoris pomi, flavum, ossiculo intus exiguo, nucleo autem eduli.

*Acaya* ingens arbor, foliis pyri, floribus rubicundis, fert fructum instar minoris *Acaya*. pomi, sed oblongiori forma & acidioris saporis.

*Yacaranda* pruno arbori admodum similis, sed foliis latioribus, flore candido; fert *Yacaran-da.* fructum duorum pugnorum magnitudine, & ubi coctus fuerit, edulem barbari coquunt ex illo pulmentum quoddam stomacho imprimis amicum & salubre quo vocant *Manipoy*.

*Onbou* Mangax foliis similis, fructus fert persicis non absimiles, intus & extus plane luteos ubi maturuerint; nec edules sunt nisi quum sponte decidunt ob egregiam aciditatem, horum supra quoque meminimus. *Mani-poy.* *Onbou.*

*Pajoura* fert fructus similes præcocibus, licet arbor longe sit minor.

*Vva-Cave* pomi arboris magnitudine, frondibus autantia, flore subcroceo; fert *Vva-Cave.* fructum oblongum instar ovi, flavum & palato gratum.

*Pitom* mole, frondibus, & fructibus pruno similis, sed fructus suavior est. *Pitom.*

*Avenonbovih-Ac妖ou* pomo valde similis, sed fructus illius magis similis sunt pruni, nisi quod crocei sunt coloris, suaviori sapore; ossiculo perexiguo.

*Yachica* pruno admodum similis, floribus flavis quidem, sed fructus illius pruni omnino sunt similis, lutei coloris, nucleo candido & suavi.

Præterea *Cayoveen* & *Maukai-ene* quæ parum differunt à præcedentibus.

*Ovagiron* nascitur ut plurimum in arenis ad littus, nec adolefecit supra fruticis modum, fructum fert instar majoris pruni, rubri coloris. *Ovagi-ton.*

*Morecii* itidem amat arenosum littus, fructus illius acrioris est saporis. *Morecii.*

*Amyjou*, pyri folia obtinet sed oblongiora, flores candidos; fructum fert pomi magnitudine, & instar cucumerum tuberculis plenum, sapore persicorum.

*Mouroure* non multum quoque abludit à pruno, flores fert luteos, fructus instar cerasorum, longis pediculis, ossiculo exiguo, carne crocea & suavi. *Mourou-re.*

*Vva-vytou* folia fert oblonga, flores cæruleos, fructus aurantiis haud absimiles, nisi quod suaviores sint. *Uva-Vytou.*

*Vva-pirup* arbor valde aculeata, foliis juglandis, floribus è flavo, cæruleo & rubro colore eleganter distinctis; fructum fert instar pomi orbicularem & mensis pergratum, sed non nisi pluviis mensibus decerpitur. *Uva-pirup.*

*Ou mery* fructum fert magno pyro; *Arasa* parvulo pomo similem; qui inter optimos fructus, ubi plene maturuerint, facile primum locum flagitant. *Onmery.*

*Pekey* truncus interdum ita crassus est, ut vix trium quatuorve hominum complexu ambiri possit, fert frondes pruni, fructum duorum pugnorum, cortice crasso duroque, qui intus continet tres quatuorve fructus luteos, forma renis, optimi odoris, & saporis non ingrati, osse admodum aculeato. Vide quæ supra de eodem diximus.

Plures alias brevitatis causa omitto; atque harum etiam nomina, quæ jam retuli nonnihil mutata suspicor à Gallis, qui literam W, hisce nationibus uti videtur perfamiliarem difficulter proferre & difficiliter scribere possunt; descriptio-nes

nes autem harum, cum iis quas libro superiori produximus, omnino conferendæ sunt, ut quid simile aut dissimile habeant, melius appareat.

## C A P. XII.

## Herba aliquot atque Plantæ hujus Insulæ Maragnanæ.

**I**N T E R omnes hujus Insulæ plantas facile principem locum meretur Ananas, cuius fructus jam ante aliquoties meminimus & Iconem dedimus.


Karouata.

Proximum locum sibi vindicat *Karouata*, priori non multum absimilis, nisi quod folia producat fere ulnam longa & duos pollices transversos lata, crassiora & ut rimque valde aculeata, è quorum medio erumpit scapus, cui circiter duos palmos supra solum, confertim annascuntur quinquaginta & interdum longe plures fructus digitalis longitudinis, pyramidis triangularis in modum, intus atque extus flavescentes, optimi saporis & palato pergrati. Nactus ejusmodi fructus satis recentes ex insula Tabago, unum integrum & per medium sectum pingi curavi, cuius Iconem hic appo-

no. Nostrates vocant *Slyptongen*, Galli *Cypre-civille*. Plenus autem est fructus spongiosa quadam materia & plurimis ossiculis sive se- minibus minutis, succus illius ex acri dulcis est, gratus palato, sed si quis vescatur, sanguinem elicit è lingua atque gingivis, unde nostri nomen indiderunt: utiliter adhibetur in febribus, & adversus scorbutum; fructus suos incipit protrudere postquam pluviae desinunt.

*Tarammacaru* mirabilis & pene monstrosa est planta, assurgit enim ad decem aut duodecim palmos, tibiæ humanæ crassitie, spargitque ramos tres quatuorve ejusdem magnitudinis; caule verum adeo est tenero, ut per-<sup>30</sup> facile sit aliquot plantas simul gladio detrunicare; cortex est viridis, medulla autem candida, nulla fert folia sed spinas digitales; florem fert miniatum cœruleo colore intermixto, cui succedit fructus pugni magnitudine, exterius eleganter rubens, intus candicans, exiguis granis, quæ una comeduntur, scatens, suavis atque gratissimi saporis, qui à fragorum nostrorum sapore nihil differt.

Yaram-macarou.



Gyromon.

*Gyromon* planta foliis & floribus Anguriæ (quam vulgo *Citrulū* vocant) pene simili-<sup>40</sup> lis; fructu rotundo & depresso, tenerrimo cortice, qui coctus utiliter mensis infertur.

Taker.

*Taker* sive *Kaker* præcedenti pene similis, nisi quod fructus illius est oblongior & major & cortex longe durior.

Uva-een.

*Uva-een* melonum species videtur, fructum fert magnitudine capitis humani, exterius lâte virentem, intus solidum, carne candida & nigris granulis permixta, succi suavissimi & pergrati plenum, ita ut crudus instar pomorum comedatur: per medium dissectus plane liqueficit & diffunditur instar aquæ; si vero tantum excavetur statim implet lacunam dulcissimo liquore, ita ut mirum in modum recreet.

Com-manda.

*Commanda* *Ovassou* sunt ipsorum fabæ, maximæ & planæ, & variorum colorum: *Commanda* autem *miri* ipsorum pisa, magis oblonga, quam rotunda, & melioris sapori quam nostratia; interdum octodecim aut viginti inveniuntur in uno lobo sive fili-qua. Supra audivimus è *Lerio* eisdem nominibus à *Tovospinambautiis* fabas atque pisa appellari.

Xeteuch.

*Radices* quæ alibi *Patates* dicuntur, hic vocant *Xeteuch*; *Lerius* atque *Thevetus* à suis barbaris *Hetich*.

*Cara* sunt alias radices, solidiores quidem quam *Patates*, sed multo deteriores.

Taya-

*Taya-ovasson* radix est rotunda & candida instar rapi, nostratis boni, si coquatur, *Taya*.  
saporis.

*Mandovi* potius tuber est terræ, quam radix, Brasiliensis *Manobi*, Iconem vide <sup>Mando-</sup>  
supra credo enim eandem esse plantam. <sup>vi.</sup>

*Manioch* crassa radix plantæ quam vocant *Manieup*, folia profert ficolneis haud  
absimilia, barbari farinam ex hac conficiunt, qua pro farre utuntur. *Macachet* &  
*Manioch-etc* itemque *Manioch-cave* radices sunt ejusdem pene speciei & usus, quæ pa-  
rum inter se differunt: quemadmodum & *Vsenpopovitam* quæ rubro est colore.

## 10 C A P . X I I I .

*Variæ volucres quæ in hac Insula & vicina  
Continentre reperiuntur.*

**I**N G E N S præterea in Insula hac Maragnana & Continente illi vicina reperitur  
omnis generis volatilium copia & varietas, quarum aliquot è commentariis  
Abbævillani Galli, hic breviter descripturi sumus, nequid temere prætermi-  
tamus.

Inter feroce aves & quæ rapto vivunt, primum locum merito sibi flagitat *Ovyra-*  
*Ovasson* (observandum autem quod Leriū scribit, barbaros *Tooupinambautios* uni-  
versas aves uno & communi nomine appellare *Oura* sive *Ouyra*) avis aquilâ pene  
duplo major, plumis vestita elegantissimis, tanto autem robore atque ferocia, ut  
ovem integrum abripiat atque dilaniet, homines facile prosternat, & nec à cervis  
abstineat: memini me videre pennam ex alis, uti opinor, hujus avis detractam, quæ  
ulnam nostratem longe superabat, elegantissimo colore & rotundis maculis distin-  
ctam, instar gallinarum quæ ex Africa advehuntur: rostrum quoque ejusdem vali-  
dum, & unguis imprimis acutus.

Huic proxima viribus & magnitudine *Ovyrata-Ovyran*; & *Ovyra-Ovasso Povytan*  
aliæque plures ejuscemodi rapaces aves aquilis aut majores aut paulo minores, singu-  
laris adhæc formæ, & plumis variorum colorum eleganter distinctæ.

30 Psittacorum itidem ingens numerus atque varietas hic passim reperitur.

*Moyton* sive *Mouton*, (cujus & Leriū meminit,) avis est pavonis nostratis magni- <sup>Moyton.</sup>  
tudine aut paulo major, præalta crista spectabilis & per universum pene corpus nigris  
albisque plumis eleganter variegata, carnes illarum cibo sunt opportunæ; hujus  
quoque avis variæ visuntur hic species.

Aliæ item aves phasianis Europæis persimiles, quas barbari hi *Iacon* & *Iacon Obough* <sup>Iacon.</sup>  
atque etiam *Aracouan* vocant, mira plumarum varietate & decore. Leriū meminit  
earundem, in suis commentariis.

Aliæ perdicum formâ, sed majores paulo, quas *Nanbou* & *Nanbou-Ovasson* appell-  
lant, cœruleis plumis ornatae atque ova itidem cœrulea ponentes; itemque *Nanbou-in-*  
40 & *Macoucaova*, uti & Leriū scriptum reliquit.

*Toucan* (cujus Leriū atque Thevetus meminerunt, palumbi magnitudine, ro- <sup>Toucan.</sup>  
stro oblongo atque lato, ingluvie sub pectore, tres quatuorve digitos transversos lata,  
crocei coloris elegantissimi & miniatis plumis circa oras distincta, pectore candido,  
dorso exquisite rubenti, alis atque cauda nigris; pulchra aspectu, & carne palato ad-  
modum grata: hujus & alia species appellatur à barbaris *Ovaycho*, cui rostrum est paulo *Ovay-*  
*cho*. diversum & è rubro flavescens.

*Ouroou* perdicis quidem magnitudine, sed galli gallinacei in modum cristata, plu- <sup>Ouroou.</sup>  
mis rubris, nigris atque candidis insigni varietate; aliaque ejusdem nominis, cothur-  
nici nostrati admodum similis, sed longe majore corporis mole.

50 *Tata Ouyra Ovasson* & *Tata Ovyramiri*, itemque *Aroumara* singulæ columbarum <sup>Tata.</sup>  
nostrarum magnitudine, sed singulari plumarum varietate & elegantia.

Quædam minimæ molis aviculæ hic reperiuntur papilionibus nostratis haud  
multo majores, quas *Iapyii*, & *Ovenonbouch* vocant barbari indigenæ; de quibus  
ante satis multa diximus.

Vespertilioes hic visuntur admodum grandes, barbari vocant *Andheura*, quæ  
magnum

magnum strepitum inter volandum cident, & noctu homines ita lacinant & mordent, ut largum sanguinem eliciant qui quam difficulter interdum sisti potest; ita ut inter lues harum Provinciarum merito numeretur.

Aquaticarum sive palustrium volucrum ingens quoque hic est copia, inter quas celebrantur à barbaris *Ovara-Tamatian*, & *Ouara-Caon*, Eloriis, quos Galli *Corlieu* & *Corlis* vocant, similes, nisi quod plumarum elegantia plurimum ab illis differant; magno autem numero visuntur juxta littora, rarius intra Continentem.

Sunt & hic aves quædam quæ magis supra terram feruntur, quam volant; quæ illa quæ à barbaris vocatur *Yandou*, struthiocamelorum, ut videtur, species & proceritate corporis staturam humananam superans, maximæque velocitatis.

Et *Salian* Turcici galli magnitudine, rostro & cruribus Ciconiæ, quæ licet volare nesciat, tamen tam perniciter currit, ut venaticos canes effugiat.<sup>10</sup>

Gallos vero & gallinas Turcicas vocant barbari *Araignan*: communes vero & nostratis pene similes *Oura Sapoukay*.

Anseres autem appellant barbari *Vpec*, nostratis tamen longè speciosiores & carnibus palato gratioribus.

Anates itidem vocantur à barbaris hisce *Potiry*; palumbes denique *Picassou* & columbae *Picassoutin*: non multum differunt à nostris.

#### C A P. XIV.

##### *Pisces marini & fluviatiles qui in hisce partibus reperiuntur.*

20

**M**ARE quod hanc Insulam alluit atque flumina quæ in sinum descendunt valde piscosa esse dicuntur; nos aliquot piscium genera ex Claudi Abbævili commentariis hic annotabimus.

Manatos de quibus alibi diximus, vocant hibarbari *Ovâroavâ*.

**P**yroon. Pyron ipsiis dicitur piscis edulis, sex septemve palmos longus, doliari amplitudine, squamis autem nigris & grandioribus testis.

**O**uyrii. *Pirapem* sive *Camauropori* alias piscis ejusdem quidem formæ atque molis, sed squanis longe minoribus.<sup>30</sup>

*Ouyrii* piscis tres quatuorve pedes longus, lato capite; binas habet in dorso pinnas circiter semipedem longas longeque acutissimas, quarum punctura admodum noxia esse dicitur, cætera præstantioribus piscibus merito accendens; horum nonnulli in fluminibus reperiuntur qui muscum dicuntur redolere.

*Oury-Iouve* præcedenti persimilis præterquam quod colore sit luteo.

*Ouaracara* Alofa nostrati perquam similis, sed spinis multo rarioribus, ideoque & melior & palato gratior.

*Ouatoucoupon* barbaris crustaceus est piscis, duos circiter palmos longus, capite flavo, & cibis idoneus.

*Paraty* & *Pira-cuvave* similes sunt nullis : *Lerio Parati* & *Kurema*.<sup>40</sup>

**N**arinnary. *Camboury Ovassou*, quatuor circiter palmos longus, capite porcino, cauda flava, squamis undique testis.

**Yave-**  
**bouyre.** Planorum, ut vocant piscium multæ hic reperiuntur species: *Yavebouyre Rayæ* quidem forma sed longè major, duos cubitos longus latusque, & palmum crassius, cauda sesquicubitum longa & aculeo circa medium armata, acutissimo & valde venenato.

**N**arinnarii ejusdem speciei, cauda quidem breviori, sed aculeo longiori, & totum corpus nigris albisque lineis distinctus.

**O**vara. *Ovara* ejusdem speciei, duos utplurimum palmos longus, unum latus, argenteo colore nitens, pinnis vero flavis sive croceis.

**A**cara. *Acara-Ovassou* ejusdem quoque speciei, tres palmos longus & pene totidem latus, nigris squamis undique testis: *Acara-peve* præcedente paulo minor: & *Acara-poytan* præcedenti similis, sed nigris albisque lineis pictus: *Acara-pourourou* lineis flavis eleganter variegatus, cætera nigricans: *Acarajou* denique unum tantum palmum longus, squamis oppletus, capite viridi, superiori quidem parte corporis flavidus, inferiori vero pene candidus.<sup>50</sup>

**A**ramaf-  
**fa.** *Aramassa* ejusdem quoque speciei, soleæ nostrati non absimilis, duos palmos longus,

longus, & tres digitos transversos crassus, ventre candido, dorso nigro; ferunt cibis perquam idoneum esse, unde magni fit à barbaris.

*Araovaova* octo interdum palmos longus, cute dura atque aspera, gladium habet duos tresve pedes longum, rostri loco, quo alios pisces trucidat: & *Panapan* præcedenti similis, nisi quod gladius huic sit brevior.

*Pacamo* glaber pisces, colore griseo, duos quidem pedes longus, sed vasto admodum capite pro mole corporis, sub scopulis plerumque reperiatur; uti & *Caramourou* anguillæ similis, cuius jam ante mentionem fecimus.

*Tinmocon*- *Ovassou* anguillæ itidem forma, sed cute albicante duos vel plures cubitos longus, rostro Lucio nostrati non absimilis, quod palmum unum longum obtinet. *Tinmocon*.

*Panyanajou* præcedenti similis, nisi quod superior rostri pars ipsi aliquantò longior sit quam inferior. Inter fluviatiles pisces maxime admirandus videtur *Pourake*, quatuor interdum palmos longus, diversis coloribus, cæruleo, rubro, viridi atque albo elegantissimè variegatus, nullos iactus metuit ne quidem gladii, sed si se inter vapulandum commoveat, ferientis brachium tam acri dolore afficitur, ut interdum concidat; ita ut *Torpedinis* speciem esse oporteat.

*Caurimata* carpis admodum similis, sed longior latiorque, & inter præstantissimos harum regionum pisces facile princeps. *Caurimata*.

*Yaconda* pisces tres palmos longus, crustis undique tectus, & flavis, rubris, albisque lineis eleganter descriptus. *Yaconda*.

*Pyrain* palmum longus, semipalmum latus, sine crustis, sed flava atque rubra cute spectabilis, dentibus acutissimis instar novaculæ; quibus & *Opean* alterum pisces ad eundem modum armatum scribunt.

*Tarehure* similis *Paraty*, nisi quod spinosior sit, dentes habet acutos; quemadmodum & *Ieron*, cui caput rotundius & cærulei coloris, cauda rubra. *Tarehure*.

*Tamoata* semipedem longus, plenus crustis, carne flava & boni saporis. *Tamoata*.

*Sarabo* non absimilis lampetræ, nisi quod latior sit & longiori rostro. *Sarabo*.

Hic quoque multæ & diversæ reperiuntur cancerorum, astacorum & gammarorum species; quorum alias *Ovegnonioin* vocant longis & cæruleis chelis; alios *Oussa* hirsutis pedibus & rubris, qui plerumque in terram erepunt & fere sub radicibus littoralium arborum, quas Galli vocant Apparituriens, inveniuntur.

*Ouca*- *Ovassou* astaci majusculi, qui sub Petris una cum ostreis capiuntur. *Ouca*.

*Aovara*. *Ovassou*, sunt cancri albi, pugno humano paulo majores, qui ambar griseum avidissime appetunt, ita ut magna illius frusta sæpe in cavernis illorum deprehendantur.

*Ourara* astacorum itidem species, qui in fluminibus tantummodo reperiuntur: *Crocodilos* hi quoque barbari vocant *Yacare*, & reperiuntur hic prægrandes.

Plurima quoque hic sunt ostrea, nostris majora & præstantiora, barbari suo idiomate appellant *Rerii*, adhærent ut plurimum ramis littoralium arborum: mytulos vocant ipsi *Xerourou*, & sunt nostris longe majores, quibus barbari communiter visitant; & ut cibum facile parabilem, unice amant.

Pluviis mensibus hic multa stagna fiunt, in quibus pisciculi quidam generantur circiter palmum longi, & palato pergrati, qui à barbaris capiuntur, antequam stagna rursus siccentur, quod fit pluviis cessantibus: pluviis redeuntibus & aqua illa rursus restagnante hi pisciculi denuo sponte renascuntur, raro naturæ miraculo.

### C. A. P. XV.

#### Quadrupedes bujus insulae & vicinae Continentis.

**Q**UADRUPEDVM ingens hic reperitur numerus, nos tamen tantum aliquot species, & maxime peregrinas designabimus, siquidem plerarumque jam libro superiori meminimus è Ioanne Lorio & aliis.

*Cervi* hic sunt plurimi nostratis omnino similes, barbari vocant *Sovassou*-*Aper*: infinitæ quoque capræ sylvestres: plures apri, vocant *Tajassou*, nostratis tamen minores, & umbelico supra dorsum; habent tamen & nostratis paulo majores, quos ipsi appellant *Tayassou*-*ete*.

*Herinaceos*, quos vocant *Coendou*, habent longe maximos & aprorum pene mole, longissimis & acutissimis spiculis armatos.

**Tamandova.** *Tamandova* animal est equi nostratis mole, capite suillo, auribus caninis, proboscide palmum longa & acuta, lingua longiuscula & angusta; jubis pene equinis, pedibus autem bovillis; visceribus formicis: caro illius palato ingrata, ideoque raro comeditur à barbaris. Supra descripsimus sub *Tamandua* nomine secundum Lerium, sed Abbævillanus longe majorem molem hic illi tribuit.

**L. 15. c. 5.** *Tapiyre-ece* sunt instar agrestium vaccarum, auribus quidem longioribus, sed brevioribus cruribus & cauda, acutis insuper dentibus, sine cornibus. Bezoar lapidem tantopere laudatum intra illius viscera reperiri tradunt, hujus autem animalis superiori quoque libro jam meminimus.

**Tatou.** *Tatou*, Hispanis *Armadillo*, jam ante descripsimus; hic tantum monebimus ex Abbævillano, hujus animalis plures in hisce partibus reperiri species, quæ mole tantum differunt.

**Covaty.** *Tatou-Ovassou* nimirum quæ magnitudine accedunt ad oves nostrates: *Tatou-ece* quæ mole vulpeculas haud multum superant; denique *Tatou-apar*, *Tatou-Ovainchun*, & *Tatou-miri* animalculum omnium horum longe minimum.

**Pac.** *Covaty* accedunt quam proximè ad vulpeculas nostras Europæas, sed cauda aliquantum differunt, quam *Covaty* quidem habent longe minorem, verum nequaquam ita hirsutam.


**Agouty.** *Agouty* animalculum porcelli mole, capite quidem gliris, sed per brevi cauda, pilo porro denso & subrubro.

**Tapity.** *Tapity* non multum differunt à nostratis cuniculis; diversæ tamen reperiuntur illorum species: *Ponnare* qui sunt cauda semipedem longa; *Amoco* & *Savia* caudis omnino carentes.

Inter fera animalia eminent *Ianovare*, lyncis uti videtur, species, mole Anglici molossi, pulchra & elegantissimè variegata pelle.

*Sovasson-varan* leonum pardorum genus & elegantibus notis insigne; & *Margai* feles sylvestres, pelle imprimis formosa.

**Uauau.** *Vnau* monstrosum animal; capite nimirum rotundo pene instar humani, canis capillis: quatuor quidem pedibus, sed parum admodum illis promovet; & tribus unguibus oblongis ad singulos digitos, quibus potissimum enititur & arbores scandit: à quibus non facile descendit, nisi frondibus & fructibus omnibus jam ambescit; adeo segne & pigrum in proreptando animal, ut pigritiæ nomen ab Hispanis ob id meruerit: Iconem illius ex Clarissi. Viri Caroli Clusii exoticis hic adjungemus.



Scribit atitem Clusius de hoc animali ad hunc modum: A collo ad extre<sup>m</sup>am dorsi

dorsi partem, paulo plus quam duodecim uncias longum erat illius corpus, crassitudo vero sive ambitus pene totidem continebat: in vivo autem animali longè majorem fuisse, non est dubium: collum ipsum sex uncias longum erat & quatuor crassum, comprehensis etiam ipsis villis: anteriora crura ad pedum (quos planos habebat instar urorum aut simiarum) usque flexuram, septem unciarum longitudinem superabant; posteriora autem sex cum semisse duntaxat longa, ut anterioribus ferè integrâ uncia essent breviora: anteriores pedes à flexura ad ungues usque, tres uncias erant longi, posteriores autem ejusdem pene longitudinis, utrique tamen valde angusti, licet plani, ut mirum videri non debeat, si cum difficultate subsistere & progredi queat: fini guli vero tribus contiguis unguibus binas uncias cum semisse longis albis & valde mucronatis prædicti, prona quidem parte arcus instar elatis, supina autem sive inferna carinatis: universum corpus à summo capite ad ungues usque, densissimis, iisque prolixis villis erat obsitum, coloris partim nigri, partim cineracei pene, ut meles, quem vulgus Tassum vel Taxum appellat, mollioribus tamen, atque à collo secundum dorsum longitudinem usque ad posteriora pene crura, nigrorum pilorum quadam serie erat insignitum: totum collum à cervice ad anteriora usque crura veluti juba quadam nigrorum crinium in utrumque latus propendentium tectum habebat. Caput exiguum, brevibus pilis subrufis obsitum, cum menti & gutturis parte: rostro simiam quodammodo referebat: breve enim, glabrum & obtusum, simisque naribus erat prædictum, exiguis etiam dentibus, satis tamen latis: quum vero rictum amplum non habeat, hoc animal vix mordere posse mihi persuadeo. Hæc ille.

Infinitus pene reperitur hic numerus simiorum & cercopithecorum, vatia mole & diversis coloribus, & quidem inter eos miro ingenio & astu: barbari vocant *Ouarive*: item *Cay-Ovassou*; *Cayon* nigro villo & candida longaque barba. *Cay-miri* & *Sapaion*, minores sed elegantes: *Tamary* minimi sed pulcherrimi: *Marittina*, *Ioupara* & *Sagovy* argenteo colore, omniumque quidem minimi, sed formosissimi.

Canes suos venaticos vocant barbari ipsis, *Iano-vare*, nostratisbus quidem paulo minores, sed venationi vel maximè idoneos.

Inter Angues præcellit *Boy-ete*, interdum duas & plures orgyas longus, pelle ele-<sup>Boy-ete</sup> ganter picta; tantum quatuor ipsis sunt dentes, verum tamen acutissimi; linguam habet duobus veluti spiculis armatam, quibus horrendum in modum pungit, uti & cauda; vulnere plerumque lethali: verum quod & supra monuimus, ad extremitatem caudæ, vesiculam admodum tenuem ipsis assuit Naturæ author, quæ tam magnum strepitum edit, pene instar tintinabuli, quo monentur homines maturè de via decedere, ne ab angue hoc lædantur.

Reperiuntur hic & alii angues atque serpentes, lacertique, quos barbari vocant *Iouboy* & *Tara-gouyboy*, & *Tare-huboy*, quos tamen ipsis nonnumquam comedunt; quemadmodum & Bufones, (quos ipsis vocant *Courourou*,) qui hic prægrandes reperiuntur.

Infestantur denique hic quoq; ab illis pulicibus quas in Hispaniola vocant *Niguas*, hic autem à barbaris vocantur *Ton*: aduersus hoc malum non uno remedio opus est; ipsis adhibent oleum palmarum, & *Roucou* atque *Oroucou*, notæ tincturæ speciem, de qua jam alibi diximus.

## C A P . X V I .

*Incolarum origines, mores & instituta, aliaque quæ hoc pertinent.*

**B**ARBARI, qui jam hic incolunt, narrant, pene sub Capricorni tropico, amænissimam provinciam jacere, *Cayeten* nomine (quasi dicas ingentem saltum) densis nemoribus procerissimarum arborum passim obsitam, quam majores eorum olim tenuerint, *Toupinambæ* dicti, à virtute bellica qua vicinos suos facile anteibant; quare & hi eodem nomine hodieque vel maxime gloriantur. Portugalli ea parte Brasiliæ potiti, omnem dabant operam, ut hanc gentem subjugarent; sed illi armis Europæis impares, primo in densa ne mora se receperunt: & quim ne hic quidem satis tuti essent, immensa terrarum spacia emensi, ad Oceanum usq; & in septentrionales has Brasiliæ provincias commigrarunt, ubi hodieque servato communi *Toupinambæ* nomine in plures cognationes sunt divisi & pro locorum quæ incolunt di-

versitate, varia sortiuntur nomina; nam qui ad littus maris habitant *Paranan-Engovare* appellantur: qui super montem *Ibouyapap* ad eundem modum *Tbuoyapap Engouare*; & ita quoque in cæteris prænomina accipiunt à locis quæ incolunt: ut à *Maragnan*; *Tabourou*, *Miary*, & denique à *Para* provincia tam ea quæ ab hac Insulaversus ortum jacet, quam illa quæ versus occasum, de qua mox dicemus.

Narrant præterea qui inter barbaros sunt majores natu, ridiculum quiddam, nimirum quum primum ipsi in has provincias commigrassent, & publicum symposium celebrarent, quod ipsorum idiomate dicitur *Caouen*, ingressam forte foeminā quandam, quæ pugno aliquem procerum cæciderit, unde primum rixa, deinde tam crudele certamen inter cognatos fuerit exortum, ut discordes inter se, alii huc, alii aliò concesserint: neque haçenus potuerint reconciliari, sed vatiniano odio alii alios persequantur, ex insidiis opprimant, & inhumaniter commedant: Atque inde potissimum *Tabajarum* nomen apud ipsos originem accepisse, quo se invicem insultabundi compellare solent; sonat enim tantudem in ipsorum lingua, quām hostis sum tuus, uti tu es meus.

Porro *Toupinambæ* hi, ut plurimum mediocri sunt statura, (quanquam & proceri & obesi inter ipsos reperiantur:) simiis naribus, (quod obstetricum opera aut vi tio fieti autumant:) erecto corpore & robusto, ita ut gravissima onera facile ferant: rarissime tentantur morbis, quia ut plurimum parcè cibis utuntur, & cœlo fruuntur amæno & imprimis salubri, unde & longævi sunt sine canitie aut calvitio: foeminæ illorum servare dicuntur fecunditatem ad annum octuagesimum & ultra: infantes nascuntur eodem quidem quo nostri colore, sed inficiuntur à parētibus oleo quodam cui *Roucou* color mixtus fuerit, atque inde sensim fusco aut olivastro colore evadunt. Capillum quidem capit is alunt, cæteros autem pilos universo corpore evellunt: mares attundunt cæsariem supra frontem: foeminæ promittunt usque ad umbelicum, & in comis pectendis admodum sunt accuratae; atque, ut elegantiorem colorem capillis concilient, tingunt denique illos *Roucou*, abluuntque deinde aqua, in qua radix *Ovapacari* cocta fuerit, quæ spumam edit instar saponis.

Mares consueverunt inferius labium perforare, & foramina indere viridem lapilum vel gemmam aut aliquid simile: quidam & nares perforant & indunt foraminibus ossicula aut etiam ligna quædam, atque id imprimis formosum judicant. Foeminæ autem auriculas quidem ad eundem modum perforant & appendent rotulas vel orbiculos ligneos aut simile quid monilium loco, labia autem minime.

Utrique autem prorsus nudi incedunt, præter jam maritatos aut senes, qui pudenda sua panniculo aliquo cæruleo aut rubro obvelant, supra femora alligantes funiculæ goffypino, hoc velamen appellant ipsi *Carajove*. Cæterum totius corporis sui cunctem pinguit variis coloribus & figuris; crura deniq; inficiunt colore nigro, succum *Iunipap* illinendo: plurimi quoq; mares acuto lapillo instar novaculæ, cutē sibi incident variis modis, & illinunt puncturis colorem aliquem pertinacem, ita ut nunquam evanescent, id singularis fortitudinis inter illos argumentum est, & maxime decorum existimat. Supra modum quoque industrii sunt, in variis ornamentis industrie concinnandis è diversicoloribus avium plumis, nam & diademata ex illis contexunt, quæ vocant *Acanoop* sive *Acan-Assoyave*: & coronas, ipsis *Acan-getar*: itemque collaria, ipsis *Ajovacara*; atque adeo integra pallia, quæ nominant *Affouyave*: periscelides quoq; ipsis *Tabacoura*: quas etiam è filis goffypinis componunt, & appendent ipsis certas nuces, quibus lapillos aut quid simile indunt, ut strepitum edant, vocant *Aouay*: denique armillas, quas vocant *Mapovygh Cavay Chovare*, & ingentes cristas, ipsis *Iandou-ave*. Lectos habent pensiles è filis goffypinis connexos retium in modum, aut etiam contextos instar straguli, quos vocant *Yni*, & distendunt illos inter duos palos ita ut tantum unius aut ad summum duorum hominum capaces sint.

Loco panum aut farris utuntur farina è radicibus *Manioch*, *Mocachet* aut *Manioche* confecta, quam vocant *Ory*: è succo earundem coquunt jusculum aut pulmentum, ipsis *Manipoy*; & è fecibus subsidentibus pinsunt placentas, quas dicunt *Cassave*: ex iisdem denique radicibus & pollutam quandam deducunt, ipsis *Cayman*.

Vescuntur præterea piscibus, avibus, & omnis generis animantibus, quæ super craticulam, *Boucan* ipsis, flammis torrent atque ustulant: potus ipsorum communis est pura lympha, aut quem supra notavimus.

\* Arma ipsorum sunt arcus, quos vocant *Ovyrapar*, & sagittæ ipsiis *Oouve* sive *Tacovart*: crudelissimi sunt in hostes suos, nam & captos instar suum saginant, & saginatos crudeliter mactant atque immaniter devorant; vindictæ quippe supra modum sunt appetentes: & ut leves interdum ob causas bella vicinis suis indicunt, ita & pertinaci odio eadem gerunt; alioquin cognatos & concives atque adeo advenas à quibus minimme læsi fuerunt, munifici & humanissimi.

Cæterum gentes hæc maxime amant littora Oceani & fluminum aut paludum ripas ob piscandi oportunitatem, qua maxime capiuntur & quibus potissimum sibi vietum comparant: neque tamen diu in iisdem sedibus commorantur, sed mutant sepius loca, licet fere pagorum suorum nomina servent; Qui plura de horum barbarorum moribus & institutis desiderat cognoscere, adeat *Ioannem Lerium* aut *Andream Theretum*, aut denique quem haec tenus hic sequutus sumus *Claudium Abbævillanum Capuchinum Gallum*; nos enim maxime animadvertenda hic adjunximus.

## C A P . XVII.

*Provinciarum Tapovytaperes & Comme ad Continentem sitarum descriptio.*

**A** Binsula *Maragnana* versus occasum jacet alia provincia, quæ pars est Continentis, quam barbari vocant *Tapovytaperen*, distat autem illa ab insula tribus aut quatuor leucis, fretu interluente, quod in sinum *Marignanum* penetrat. Partem Continentis dicimus, nam licet quum Oceani fluctus valide impleverunt, tota ab undis ambiri videatur, tamen fluctibus recedentibus, cohæret cum Continente & tantum arenosa convalle ab ea dirimitur. Hæc provincia nequaquam tam munita est natura loci, quam insula, sed longe est fertilior atque amænior.

Incolitur ab eadem *Toupinambarum* natione, qui hic quindecim & plures pagos habitant, quorum præcipios obiter commemorabimus. Præcipius pagus & provinciæ veluti caput, vocatur provinciæ nomine *Tapovytepere*, quod ipsorum idiomate significat antiquam *Tapuyarum* sedem, qui aut sponte hinc emigrarunt, aut ab his pulsæ alias sedes quæsiverunt: secundus *Sery-jeu*: tertius *Ieneupa-eupe*: quartus *Meureuti-eupe*: quintus *Caagovire*: sextus *Pindotuve*: septimus *Aroveupe*: octavus *Tapavytiningue*: nonnus *Eugarete-quitave*: decimus *Oraboutin Eugovave*. Omnes autem hi pagi longefrequentiores sunt incolis, quam quas in Insula *Maragnana* recensuimus.

Ab hac provincia transiit ad aliam, quæ à fluvio, qui illam secat, *Comma* appellatur; hujus itidem solum & fœcunditate & amænitate longe superat insulam *Maragnanam*; & provincia est longe populissima, ab eadem natione *Topinambarum* culta, qui hic sedecim & plures pagos incolunt; quorum nominatissimi sunt *Comma* provinciæ veluti caput, à piscandi opportunitate sic dicta: II *Ianovacouare*: III *Tavapiap*: IV *Covyjeup*: V *Arovypè*: VI *Taevoovaio*: VII *Pacouripanam*: VIII *Aovayeuve*: IX *Maecan*: X *Couremacta* qui pagus nomen accepit à *Couremam* fluminis *Comma* ostio, quod ita à barbaris appellatur: XI denique *Yapieuve*.

A *Comma* ad *Cayeten* provinciam, quæ proxime ad *Param* accedit, & distat ab Insula *Maragnana* circiter octuaginta leucas, plures adhuc provinciæ habitantur ab eadem *Taupanimbarum* natione, præsertim juxta littora: atque adeo in ipsa *Cayete* provincia viginti aut viginti quinque pagos dicuntur habitare: ita ut hæc natio magnum terrarum spaciū occupet. Maxime autem concordes inter se agunt incolæ Insulæ *Maragnanae*, *Tapovytaperæ* & *Comme* provinciarum, sedere & connubiiis inter se juncti: continua autem bella gerunt cum vicinis *Tapuis*; uti à nostratis inveni observatum, qui anno 1515 *Maragnanam* adjerant eodem tempore, quo *Raverderius Gallus*, primum lustrandi causa huc accessit, ut mox dicemus. Nam ut hoc obiter dicamus, non modo *Amstelodamenses* sed & *Roterdamenses* mercatores, varias naves miserunt ad has partes annis IX & X & XI supra 1515,

## C A P. XVIII.

*Gesta Gallorum in insula Maragnana; & que ab ipsis observata  
de monte Ybovapap.*

**R**ESTAT nunc, ut breviter explicemus quid Galli superiori seculo in hisce partibus gesserint, prout à Claudio Abbævillano traditur.

Riffautius Gallus militum tribunus, à barbaro quodam Brasiliensi cui nomen erat *Ovyrapive*, quique in Brasilia inter populares suos plurimum poterat, invitatus anno c. 1591 tres naves instruxerat, ut fortunam in hac Americæ parte periclitaretur; verum comitum suorum discordia, & præcipuæ navis suæ jactura, re infecta in Galliam redire coactus fuit, aliquot suorum apud barbaros relictis & inter eos nobili juvēne Domino de *Vaux*: qui barbaros urbanitate morum tantopere sibi devinxit, ut Gallorum coloniam in suam provinciam deduci anxie efflagitarent, uti & adversus hostes ipsos tuerentur, & institutis Europæorum & præsertim religione Christiana imbuerent. *Vauxius* post illa in Galliam reversus, Regi Henrico magno, ordine exponit barbarorum desiderium, regionis qualitates & insignem opulentiam: Rex vero, ut certius cuncta edoceretur, mittit Dominum de la *Ravardiere* & *Vauxium* hunc ad Insulam *Maragnanam*, futurum spondens, ut necessaria omnia ad hanc coloniam abunde subministraret, si res ita se haberent, ut ille retulerat.

*Ravardierius*, haud cunctanter Regis mandato obediens, adit *Maragnanam* & totos sex menses ibidem commoratus, & omnia diligenter contemplatus, revertitur in Galliam; verum maximo hoc Rege, interim immani parricidio trucidato: cessatum porro usque ad annum c. 1591, quo *Ravardierius*, inita societate, prius cum Domino de *Rasilly*, deinde & cum Barone *Sansy*, ad iter se comparavit, impetratis à Regina matre quatuor Capuchinis; quorum unus fuit Claudio Abbævillanus, cui hanc narrationem debemus.

Solvit deinde è portu Britanniæ, qui dicitur *Cancale*, decimo nono Martii anni à Christo nato c. 1591 cum tribus navibus; sed ab adversa tempestate rejectus in Angliæ portum *Plymoutham*, substitutus ibidem ad vigesimum tertium Aprilis; dein secundam tempestatem noctis, inter Fortaventuram & magnam Canariam transit septimo May; & undecimo ejusdem venit in conspectum *Rio del oro* ad Africæ Continentem, quam deinde rasit pene ad ipsum *Æquatoriem*; quo decimo septimo Junii jam quatuor gradibus superato, vela vertit versus occasum & vigesimo tertio ejusdem mensis applicuit ad Insulam *Fernandi de Noronha*; ubi substitutus ad octavum diem Julii: undecimo ejusdem viderunt Brasiliæ Continentem, & sub meridiem sunt ingressi sinum *Moncouru*; unde secundum oram navigantes promoverunt ad Promontorium, ut ipsi vocant, *de la Tortue*, duobus gradibus & viginti scrupulis ab *Æquatore* versus Austrum.

Stetere hic in anchoris ad vigesimum quartum Julii, & vigesimo sexto demum attigerunt insulam *S. Anna*, & denique applicuerunt ad ipsam Insulam *Maragnanam*: in qua arcem sunt moliti, loco maxime opportuno; nimirum super editum colllem, juxta principalem hujus insulæ portum, inter duos amnes, qui secus radices hujus collis dilapsi, egrediuntur in fretum: Machinæ duas supra viginti in arce dispositæ; eique nomen inditum *S. Ludovici*.

Dum militares homines hæc moliuntur, operam dederunt Capuchini, ut barbaros principiis religionis Christianæ imbuerent, & aliquot baptizarunt: Claudio deinde in Galliam remeans aliquot barbaros secum duxit, qui publice Parisis magna solemnitate fuerunt abluti.

Gallos autem haud diu hanc insulam retinuisse, sed à Portugallis inde pulsos satis constat, sed quo pacto inde pulsi fuerint nondum inveni satis explicatum: videtur id accidisse anno c. 1591, quo Præfectus Pernambucensis *Hieronymum Albuquerque* cum valida classe misit ad has provincias subjugandas: is mense Octobri flumen *Perejam*, (quod supra diximus orientale ostium sinus Maranhaon aperire) ingressus, Portugallos, qui paulo ante oppidulum *Nostre Sennoræ del Rosario* ad ripam illius condiderant, ad se vocavit, & hoc persuasit commigrare: quid porro actum sit

inter

inter Gallos & Lusitanos mihi non constat ; Satis liquet illos hinc exclusos & Lusitanos hic jam sedes suas collocasse & mirum in modum confirmasse, uti statim dicemus.

Conjunxerant se quoque Galli cum barbaris , qui in monte *Ybouyapap* degunt, sed una cum barbaris hisce ad eundem modum inde pulsi sunt à Portugallis.

Mons autem hic haud longe à Fluvio *Camous*, vaste attollitur, ita ut à radicibus ad verticem vix quatuor horis ascendi possit; sternitur autem illius jugum in latam & amoenissimam planiciem, quæ patet in longitudinem quidem viginti & quatuor millaria, in latitudinem autem viginti : rigaturque, ut ferunt, à pluribus fontibus, atque adeo quibusdam amniculis, qui optimos pisces nutritiunt; præterea in patentibus 10 campos & arva, atque umbrosa nemora grata varietate passim visitur distinctus: ita ut, quemadmodum Galli testantur, à frequentibus barbaris tunc habitaretur, & pagi supra ducentos hic numerarentur.

Idem narrant & alium, sed multo minorem montem huic vicinum, barbaris *Cotiova*, sex aut septem pagis cultum fuisse.

## C A P . X I X .

*Situs Maranhaon, & loca quæ à Portugallis hic tenentur.*

**S**UPRA oram Brasiliæ hujus Septentrionalis descripsimus ex observationibus 20 Lusitanorum, usque ad flumen *Peream*, seu primum aditum ad *Maranhaon* ab orientali plaga; distat autem ab Æquatore duobus gradibus & quinque scrupulis, ut à diligenti nauclero inveni observatum, qui anno cīcī cī xv cum Tribuno militum *Alexandro de Maira* has partes adnavigavit. Porro ab ostio hujus fluminis *Pereie* navigatur ad Insulam *S. Annae*, quæ tantum leucam grandem ambitu sua complectitur. Quibus autem propositum est petere Arcem *S. Ludovici*, ii primum recognoscunt promontorium *Tapuytaperes*, deinde flectunt ad insulam minorem, in qua sita est arx illa quam Portugalli Gallis eripuerunt: atque ita porro ad alteram arcem, quam Portugalli struxerunt, vocantque *S. Francisco*.

Portum autem *S. Ludovici* collocant ad altitudinem duorum graduum & viginti 30 scrupulorum ab Æquatore versus Austrum.

Denique quemadmodum ex accurata Tabula Hydrographica observavi, Præfectura seu Capitania *Maranhaon* ita se habet; ostium fluminis *Pereje* ingressis & adverso flumine subeuntibus occurrit ad levam ipsius ripam Arx *S. Iacobi* quam Portugalli hic struxerunt ad exiguum recessum; è cuius regione quamplurimæ minores insulæ jacent, in amplissimo finu seu æstuario, tam hujus fluminis, quam aliquot minorum amnium, qui hic è Continente egrediuntur.

Insulas hasce exterius, (satis longo versus alcum intervallo, ut vada quæ ab insulis prominent devitentur) prætervectis, occurrit aliud ostium sive canalis, ut vocant, egrediens è sinu *Maragnano* per duas minores insulas oblongas: Hunc canalem ingressus deprehendis ad lèvam arcem *S. Mariae* itidem à Portugallis structam, & paulo superius, ad idem latus, ostium fluvii *Monin*; & deinceps ostium *Tapocoru* pene tribus gradibus ab Æquatore versus Austrum, à quo ora cubito flectitur versus Occidentem, (hactenus enim pene recta pergit ad meridiem) ad ostium ingentis fluminis *Meari*; à quo ora redit ad Arctum usque ad Promontorium *Tapuyotaperæ*, oblongo & semicirculari gyro circumacto.

In medio autem jacet, atque adeo pene implet hunc sinum, magna insula *Maragnan*, ab Austro ad Arctum in longitudinem expansa, alibi paucis, alibi pluribus miliaribus à Continente divisa; in medium autem insulam irrumpit ab Occidente patens sinus cuius ori objacet exigua insula *S. Ludovici*; ad gremium autem sinus & pene 50 in meditullio ipsius magnæ insulæ jacet Arx *S. Francisci*, itemque *S. Ludovici*; & plures pagi, inter quos nominatissimi sunt pagus *S. Andreæ* pene ad Arctoum Insulæ angulum, & *S. Iacobi* ad Australem jacentes.

Annotatum quoque illa Tabula à Lusitanis, Gallos uniligneis lintribus, flumen quondam *Tapourcouru* ascendisse usque ad quintum gradum ab Æquatore versus Austrum, ubi ille fluvius alterum amnem ab Euro descendentem videtur excipere: amplissimum vero *Mearii* amnem, qui ab Africo devolvitur, usque ad gradum octavum.

## C A P. XX.

*Reliqua ora Continentis à Maranhaon usque ad Param.*

**A** Promontorio *Tapuyotaperæ* oram legendō satis lato intervallō à littore, quod hic humilius est & vadosum, circiter decem leucis, occurrit primo Portus *Aippe*; à quo ad insulam *de Camara* numerant duas leucas; & ab hac ad insulam *Su-pat-uve* totidem: inde ad *Insulam Blancam* sive *S. Ioannis* quatuor, distat hæc insula uno gradu & XIII scrupulis ab Äquatore versus Austrum.

Sol. fl. Sequitur deinceps sex leucarum intervallō, fluvius *de Ambli* & porro *Vacatapui*, *Camarapuce*: atque inclinat se ora magis versus corum, donec perveniat ad cornu <sup>10</sup> Continentis, quod distat ab Äquatore medium tantum gradum versus Austrum: à quo deinceps ora se subducit versus Africum vel pene ad Meridiem, & aperit ingen-tem sinum, & canalem qui dicit intra Continentem, & tandem perducit ad insulam, quæ objacet ostio fluvii *do Sol*, & porro ad portum qui distat ab Äquatore gradu uno & XXX scrupulis versus Austrum.

In accurata ista Tabula cuius supra memini, loca inter Promontorium *Tapuyota-peræ*, & terræ cornu quod se reflectit versus Austrum, longe aliis nominibus designantur, quæ postea obiter commemorabo. Cornu autem hoc appellatur *Punta separata*, quo superato, & oram legentibus quæ sinistra est, occurrit primo amnis ille *do Sol*, dein oblonga insula *das Bandeiras*, & porro terræ Angulus, qui dicitur *Punctado mel*, à quo transitur ad obtusum terræ Angulum, cui arx *Para* superstructa visitur, quæ jam inter Capitanias Lusitanorum in Brasilia numeratur ab *Olyveira*.

Arx hæc *Para* quadrata forma structa est ad oram fluminis, (quod hic circiter duo millaria latum est, & circiter XV orgyas altum in medio alveo, & sub ipsa arce X) su-<sup>20</sup>per scopulum quatuor aut quinque orgyas editum supra reliquum solum: qua flumen respicit, tantum vimineis cratibus obsepta est, inter quas plures machinæ sunt dispositæ, reliqua latera muro faxeo sunt munita, duas orgyas alto & fossa sicca; circiter 300 Portugalli dicuntur hic incolere, qui Tabacco & sacchari cannis colendis, & goffy-  
pio legendo dant operam.

Ab hac arce versus Austrum exiguo intervallō egreditur è Continente fluvius quem <sup>30</sup> Tabula illa vocat *Capim*: & circiter novem aut decem leucis magis ad Austrum, maxi-<sup>40</sup>mus fluvius *Mogu*, qui descendit è provincia *de los Topajos*; nisi forte sit ramus ingentis illius fluminis *de las Amazonas*, quod valde videtur verisimile: nam Portugalli qui *Param* habitant superioribus annis aliquoties nostros inopinantes in isto flumine agressi, arcis, quas moliri cœperant, disiecerunt, & aliquot eorum captivos abduxerunt; à quibus hanc qualemcumque cognitionem hujus præfecturæ *Para* accepimus.

Denique, barbari qui hic incolunt ex eadem natione *Tupinambaram* esse dicun-  
tur, qui multum inviti Portugallis parent.

Sed antequam finiam, è Tabula illa breviter indicabo loca inter *Tapuyotaperæ* cor-  
nu & Promontorium *Para*. Post provinciam *Comman* pergendo versus occidentem <sup>40</sup> circiter leucas 25, (quo intervallō ora vadis & aliquot minoribus insulis obsita est) oc-  
currat sinus, qui ad paucas leucas in Continentem penetrat, & dicitur *Comma uassou*; ab hoc ad fluvium *Comajamu*, leucæ sunt V; & porro ad fluvium *Ioroquen* XV: quæ au-  
tem interjacet tellus, à Lusitanis appellatur *Costa Alagoada*, à crebris stagnis & palu-  
dibus. A fluvio *Ioroque*, qui procul è Continente descendit, ad amnem *Paraguacoten*,  
*Ioroque*, sunt fere XXV leucæ, & regio intermedia notatur nomine *Costa Baxe*.

Post *Paraguacoten* sequitur amnis *Surianame*, intervallum est octo aut novem leu-  
carum: sequitur deinceps amnis *Surama*, & quali pene intervallō: à quo ad *Itatam*, sunt  
circiter XI leucæ, & ab *Itata* ad exiguum amnem *Namam* quatuor aut quinque leucæ.  
Denique ab amne *Namam*, ad Promontorium, quod diximus appellari *Pontam separa-tam* circiter novem; huic autem objacet versus corum, minuta quædam insula quam  
vocant *Isla de Area*.

